Oxford Univers. - Arch. Seld. 1017. k. 5. 2

NOVA EDITIO

PSALMORUM DAVIDIS

QUINQUAGINTA PRIORUM,

Unà cum nonnullis aliis ſelectis,

VERSIBUS Elegiacis LATINE redditorum.

Interprete *Joh. Hanway* triginta pluſquam annos domi, foriſque, in re militari occupato.

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres,——tantum ſeries juncturaque pollet.
Hor. Art. Poet.

——Nec turpem Senectam
Degere, nec citharâ carentem. Hor.

LONDINI:
Proſtant venales apud *Tho. Edlin*, Bibliopolam, in vico vulgò vocato *Strand*, ex adverſo *Exeter-Exchange*, 1726.

Illuſtriſſimo Potentiſſimoque Principi

GULIELMO

Duci *Devoniæ*, &c.

QUEM virum ſumes celebrare cantu,
Æqui amatorem, fidei tenacem,
Splendidum latè titulis honeſtis,
Dic, age, Muſa?

Quem nec audaces populi tumultus,
Nec manus donis tacitis onuſtæ,
Nec preces, atrox odiumve, juſtâ
Mente movebunt?

Te, coronatum meritis, & auro,
Te ſuis cæptis mea Muſa poſcit;
Hoc ames dici, tibi deſtinato,
Carmine Princeps.

Luſimus quondam juvenes eodem
Sub magiſtratu veteris tyranni,
Quem tuam venam memini, indolemque,
Sæpe loquentem.

Ille prædixit tibi quæ futura,
Purpuram, & clavos, trabeasque sacras,
Cùm puer nondum poteras virilem
Sumere vestem.

Sæpiùs sed me, patriâ relictâ,
Sæva paupertas tulit inter arma;
Urbium, & famæ sitis obsidere
Mænia movit.

Te tamen Musis facilem, & benignum,
Integer laudo; fuge suspicari:
Nec senectutem citharâ carentem
Degere, Princeps,

Nec tuas possum reticere laudes;
Causa quem movit * viduæ, † Orphanique,
Quos aquâ *insanus* nimium protervâ involverat *Auster*. §

Hæc humillimè offert,

Joh. Hanway.

* Nempe sororis meæ, & † nepotum; quorum causæ (ad jus coram Optimatibus haud ita pridem adductæ) lubens affuisti.

§ *South-Sea.*

Ad candidum

LECTOREM.

UM primùm hoc opuſculum (qualecunque eſt) aggredi mihi in mentem venerit, id potiſſimùm erat in votis, ut animum filii mei (Scholæ *Weſtmonaſterienſi* paulò ante aſcripti) his poetices oblectamentis imbuerem, & allicerem. Poſtea verò cùm hujus gratiâ quoſdam Pſalmorum verſus initiales levitèr perſtrinxeram, magis atque magis mihi ipſi indies ingruebat vehemens quidam animi ardor, qui ſublimem me rapuit, & in altum quaſi mare provexit. Quis enim mortalium Pſalmos perlegere, & penitùs imbibere poteſt, quem ſententiarum gravitas, ſimilitu-

ſimilitudinum apta comparatio & dignitas, argumentationis nervoſa vis, & ſupplicationum ſuadela non egregiè afficiunt? Utinam tam forent in intellectu, quàm in ore ſunt omni populo. " Pſalmorum enim Liber " (ſecundum Baſilium) continet in ſe id omne quod unicuique conducit,& reliquorum " ſacræ ſcripturæ librorum commoda complectitur. Nam cùm alia Prophetæ nos doceant, alia Hiſtorici libri, lex item alia; nec non illæ, quæ proverbiorum ſpeciem habent, hortationes aliter erudiant; Pſalmorum volumen omnium in ſeſe comprehenſas habet opportunitates. Nam & futura prædicit, & præteritarum rerum memoriam ſuggerit, vivendi jura præſcribit, agenda præcipit; & (ut uno verbo dicam) bonorum documentorum commune promptuarium eſt."

Non deſunt tamen hac tempeſtate unus & alter, Viri Doctiſſimi, qui in explicandis, aut corrigendis futilibus quibuſdam librorum claſſicorum ineptiis operam, & oleum perdunt. Hoc enim eſt rivulos ſectari, flumina (ſeu fontes potius dicam) negligere. Nihil enim magis ex confeſſo eſt, quàm poetas, tam græcos, quàm Romanos, ſuas elegantias & venuſtates à ſacris ſcripturis mutuas accepiſſe. Ad lucernam igitur (per me licet) expalleſcant Critici, qui in au-

thoribus

LECTOREM.

thoribus ethnicis enucleandis nimis curioſi ſunt, in ſacris ſcripturis interpretandis (provinciâ magis expetendâ) minus laborioſi.

Paſtores antiquiſſimi (quorum vitæ innocentia & morum ſimplicitas apud poetas toties decantantur) dùm tibiis & cantilenis ſuis indulgebant, nihil magis in animo habuiſſe videntur, quàm ut nè erraret grex.

Pſalmodiſta poetarum omnium facile Princeps, (cui à primâ adoleſcentia ovium cura proprium & unicum negotium fuit) ità cecinit, ut non ſolum ſui temporis gregem recte duxerit, ſed etiam in longitudinem conſuluit. Quanta enim conſolatione animos hominum injuriis oppreſſorum erigit, & reficit? ita profectò miſerorum corda demulcet, ut & ipſe miſer non ſolùm aliorum proſperitati non invideat, ſed illorum vicem aliquando etiam illum miſeret, tantum deveniſſe ad eos mali.

Satis conſtat, Lector candide, latiſſimum mihi apertum eſſe materiæ campum; te tamen non diutiùs morabor, ne, inſtar montri, capite excreſcam, & opuſculum hoc præponderetur Epiſtola. Vale.

ERRATA

ERRATA.

Pſ. 10. *v.* 20. pro occipet, lege, occupet.
Pſ. 22. *v.* 7. Protuſis, protrufis.
Pſ. 30. *v.* 1. languentis, felicia.
v. 2. membra infirma, languida membra.
Pſ. 38. Argum. *fateur*, *fatetur*.
Pſ. 45. *v.* 3. ,Heroum fortiſſime victor,
v. 4. ſtrabemque, ſtragemque.
Pſ. 139. *v.* 16. inerevere, increvere.

PSALMUS I.

Hic pſalmus eſt reliquorum proœmium, cujus argumentum ſatis conſtat ex ipſa pſalmi lectione.

FElix, conſiliis qui non revocandus iniquis,
Recta, ſuum peragit, qua via ducit, iter;
Qui, ſi quando errat, ſua non veſtigia figit,
Nec manet obliquæ captus amore viæ;
Qui, deriſorum fugiens ſubſellia, nunquam
Ridiculo vertit ſeria ſcripta joco.
Jurá Dei ſed nocte, dieque, revolvere gaudet;
Ut diſcat recta, dum legit, ire via.
Ille, velut ripæ contermina fluminis arbor,
Quæ fructus certo tempore fundit, erit;
Illa nec umbroſo viduata ſeneſcet honore:
Ecce, quod aggreditur, ſic bene cedet opus.
Quam diverſa malæ, quam ſors erit altera, turbæ!
Quæ levis ut palea eſt mox rapienda Noto.
Cum nos ſumma dies in apricum proferet omnes,
Et ſua pro meritis præmia quiſque feret;

Non erit auſa choro impietas ſe adjungere ſancto;
Nec feret in medio Judicis ora foro.
6 Namque Deus turbam diſcernere novit utramque;
Nec latet hæc oculos, nec fugit illa manus.

PSALMUS II.

Hoc pſalmo Rex David prophetico quodam ſpiritu inſtigatus, ſub perſona ſua, de regno Chriſti vaticinatur.

2 Sam. 5. 17. —8. 1.
1 CUR fremit, & tanto ſævit gens extera motu?
Cur vanum affectat ſeditioſa nefas?
v. 2. Act. 4. 27.
2 Concilium ſolenne ducum vocat impia turba;
Huc ruit, ex omni parte coacta, manus:
Res agitur furioſa; Deo concurrere bello
Pars movet hæc, Regi pars movet illa ſuo.
3 " Jam liceat nexos manibus divellere nodos,
" Vincula jam liceat rumpere dura pedum."
4 Qui regit in Cœlis hos auſus ridet inanes;
Ridet, & ultrici ventilat arma manu.
5 " Sentiet iratum tandem gens improba numen;
" Sentiet, & quid ſit diſplicuiſſe Deo;
6 " Impia turba fremat licet hæc diſcordibus armis,
" Sed tuus æternum Rex erit ille, Sion."
v 7 Act. 13. 33. —Rom. 1. 4.
7 Quæ mihi dixit, operta Dei decreta movebo;
" Tu quem hodie genui, filius eſto meus.
v 8 Exod. 23. 31 -Ezr. 4. 16, 20. —Pſ. 60. 6. —2 Sam. 8.
8 " In tua, ſi voveas, gentes dabo regna remotas;
" Cedet & imperiis ultima terra tuis.
9 " Tu rigidi gentes contundes verbere ferri;
" Rumpentur, qualis fictilis urna cadens.
10 " Diſce tuos hinc, turba ducum, componere motus;
" Deſine, ſi ſapias, irrita bella ſequi.
11 " Læta tuæ, ſervire Deo, ſint gaudia mentis,
" Non ſine ſollicito concipienda metu.
12 " Fig

12 " Fige memor charo sed tu tamen oscula nato;
" Ne pereas, minimis dum furit ira minis:
" Terque quaterque beati omnes, confidere nato
" Quos juvat, accinctos, quo jubet ille, sequi."

PSALMUS III.

Deficiente populo a Davide ad Absalonem, David Hierosolyma fugiebat; sub hac tamen calamitosa patriæ fuga, se a fide Dei non dimovendum esse positetur.

1 CIrcumfusa cohors in me quam bellica sævit? 2 Sam. 15.
Quam coit & numeris aucta caterva novis?
2 Jam nullam, ut quondam, mihi fertur adesse salu-
Inque meo nullam spem supereſſe Deo. (tem;
3 Sed mihi loricam triplici Deus induit ære;
Dum mea, sublimi vertice, crista tremit.
4 Nam duplices supplex dum tendo ad sidera palmas,
Auxilium sancta mittit ab arce Deus.
5 Nocte eo dormitum, tutusque ego mane resurgo;
Nam vigil ante meas excubat ille fores.
6 Millia dena licet me cingant agmine tela,
Non mea erunt vanis pectora victa minis.
7 Namque hostis fragili quærens illidere dentes,
Offendet solido; quo, fuit ante, modo.
8 Incolumes servare, Deus, justosque tueri,
Ut felix peragant tempus, id omne tuum est.

PSALMUS IV.

Occasio hujusce psalmi non multum abludit a præcedenti.

1 JUstitiæ tu cura meæ, Deus, annue votis,
Et precibus facili sis, precor, aure meis.

Me circumfuſo dum milite cinxerat hoſtis,
Sola meæ fueras porta relicta fugæ.
2 Sam. 15. 3. 2 O genus infidum! quando mea gloria linguæ
Non erit infami labe notanda tuæ?
Quam longum in vanas torques tua pectora curas?
Mendacique nefas non erit ore loqui?
3 Scire tuum eſt me rite Deo tamen eſſe dicatum;
Attenta ille meas imbibet aure preces.
4 Improba diſce ergo jam turba agnoſcere numen:
Sit tuus & vitiis abſtinuiſſe labor:
Diſce dehinc tacito ſuſpendere vota labello;
Teque tuo poſitam conſule ſæpe toro.
5 Juſtitia & pietas, onerent pro frugibus aras;
Hæc ſint placando dona ferenda Deo.
6 Sunt quos delectant auri plus pondera juſto,
Et quibus eſt ſummum copia larga bonum.
7 Tu vultus diffunde tui mihi lumina, donum
Et vini & cereris munere majus erit:
8 In te fidentum quia molliter oſſa quieſcunt,
Et tuto recubant membra levanda toro.

PSALMUS V.

Utrum pſalmus hic compoſitus eſt a Davide, Saule perſequente illum bello, an Abſalone, ambigitur.

1 SINT mea verba tuas alte demiſſa per aures,
Attentum & teneant te mea vota, Deus.
2 Ad cœlum duplices liceat mihi tendere palmas,
Dum Rex hinc audis, & meus inde Deus.
3 Te matutino venerabor tempore primum,
Et tibi vota feram pervigil ante diem.
4 Nam, Deus, ille Deus non es, cui culpa voluptas,
Quive finis ſuperas crimen adire domos.

5 Facti

5 Facta beatificos offendunt improba vultus,
Nec mens coram oculis ſtabit iniqua tuis.
6 Sunt inviſa tibi blandæ mendacia linguæ,
Et tepida humani ſanguinis imbre manus.
7 Sit mihi poſſe tui penetralia viſere templi,
O Deus, & ſancto numine poſſe frui;
8 Ante meos oculos me dirige tramite recto;
Implicat arte vagos improba turba pedes.
9 Quos capit inſidiis, avidam demittit in alvum,
Mellifluo tectos dum ſtruit ore dolos.
10 Hoſtibus his pœnas, vindex Deus, exige dignas;
Inque ſuos laqueos, quos poſuere, cadant.
Disjice conatus media inter crimina vanos;
Et probet, in Regem qui movet arma, Deum:
11 Sed juſti exultans pertentent gaudia pectus,
Numine ſe tutum dum videt eſſe Dei.
12 Involvet tuus almus amor, velut ægide, juſtum;
Nec quenquam, ut metuat, ſic clypeatus habet.

PSALMUS VI.

Hic pſalmus dicitur pœnitentialis, & utrum David id temporis fuerit infirma animi aut corporis valetudine, parum refert; utrique conditioni ſatis convenit ille apud Deum miſerabilis queſtus, ille ex morbo convaleſcentis triumphus.

1 NE, Deus, ultrici mea crimina corrige dextra;
Nec dum caſtigas, ſæviat ira, precor.
2 O miſerere mei validis fine viribus; oſſa
Quæque dolent, medica tange refecta manu.
3 Me gravibus mea mens onerata doloribus angit;
Ne ſint ſupplicii tempora longa mei.

4 Verto

4 Verte tuos greſſus, Deus o, veſtigia verte,
Inque tuo ſemper pectore regnet amor.
5 Te cinis, & manes nequeunt celebrare ſepulti;
Defunctum grates nec tibi corpus agit.
6 Nocte (fatigata jam voce ululatibus) undans
Defluit in madido lacryma multa toro.
7 Non eadem eſt acies oculorum, in corpore ſano
Nec mihi membrorum, qui fuit ante, vigor.
8 Ite procul vanum vulgus, procul ite prophanum;
Nam mea jam tangunt triſtia fata Deum.
9 Iratum flectunt lacrymoſa piacula numen,
Difficili recipit nec Deus aure preces.
10 Mutatam impietas ægre feret invida ſortem,
Iraque confundet mixta pudore genas.

PSALMUS VII.

Hoc pſalmo David Deo gratias agit pro liberatione innocentiæ ſuæ a falſo teſtimonio, contra illum dicto per quendam Cuſh, unum e ducibus Saulis.

1 O Deus, in ſolida mea quæ jacet anchora terra
Me tua crudeli ſervet ab hoſte manus.
2 Ut Leo, qui ſpecula taurum proſpexit ab alta,
Advolat, & prædam, quo fremit ore, rapit;
Haud ſecus ingrueret mihi faucibus improbus hoſtis,
Ni fuerim manibus tutus ab ore tuis.
v. 3. 1 Sam. 24. 12, 15. 3 Hac ego ſi fuerim vitæ ratione; cruenta
Humana fuerit ſi mea cæde manus;
v. 4. 1 Sam. 24. 26. 4 Si meæ amicitiæ fuerint male fœdera rupta,
Hoſtis inoffenſi rettulerimve minas;
5 Me capiat, captumque premat ſub calcibus hoſtis;
Corpus &, oblito nomine, condat humo.

6 Surge

6 Surge Deus, vindex iras te concipe dignas,
Et reprime hoſtiles Iudicis ore minas.
7 Sic fora ſtipabit tua magna corona clientum;
Surge, Deus, ſuperas ergo require domos.
8 O tu qui toti das jura æquiſſima mundo,
Judicii pietas ſit mea norma tui:
9 Exercere malas & deſinat improbus artes,
Dum cauſam ingenui rite clientis agis.
Tu, Deus, arcanos animi diſcernere motus,
Perſpicere & taciti pectoris ima potes.
10 Cauſam agit ille meam, mea qui præcordia cernit;
Invenit & certam pectore fidus opem.
11 Juſtorum cauſas ſibi vendicat arbiter æquus;
Spirat in injuſtos ſed tamen ille minas.
12 Ille acuet gladium, ſua ni veſtigia vertant;
Nerviſque aptabit ſtridula tela ſuis.
13 Horrida bellorum, & necis inſtrumenta parabit;
Diriget & certa ſpicula dira manu.
14 Concipit impietas gravidæ de more parentis,
Parturit & multo grande labore nefas.
15 I, terram ſulco tamen, improbe, verte profundo; 1 Sam. 31. 4.
Verte, ſed in foveam laberis ipſe tuam.
16 Stultus in exitium atque in ſua damna laborat;
Nam cadet in proprium pendula terra caput;
17 Juſtitiam ergo Dei tollam uſque ad ſidera cœli;
Sanctaque laudabo nomina, digna fide.

PSALMUS

PSALMUS VIII.

Hic psalmus est Ψαλμὸς Ἐπινίκιος, *quem David com-posuit in memoriam victoriæ, quam a Golia re-portaverat.*

1 O Deus, alme pater, terras vulgata per omnes,
Quam sonat imperii publica fama tui!
Dum tua majestas super omnia sidera fulget,
2 Tu placida infantum respicis aure preces;
Ut scelus hinc, audax hostis, tua Numina discat;
Et sua jam fileat robora mentis inops.
3 Purpureum cœlum, lunamque, & sidera miror;
Inque animo varium sæpius hæret opus.
4 Quo rapit attonitam tamen indulgentia mentem,
Et tuus erga hominem numine dignus amor?
5 Quali illum imperio, quali dignaris honore,
Fiat ut angelico proximus ille choro?
6 Qua patet, immensum regit ille vicarius orbem;
Ille sua terras sub ditione tenet:
7 Quæque super terras, pecus atque armenta, vagan-tur;
Nec sua nobilior fræna recusat equus.
8 Jus habet in volucres; jus in genus omne natan-tum,
Quæ secat æquoreas, lubrica turba, vias.
9 O Deus, alme pater, terras vulgata per omnes,
Quam sonat imperii publica fama tui!

PSALMU

PSALMUS IX.

Hoc Psalmo David Deo gratias agit pro victoriis à Golia, & aliis Philistinis, olim repertatis; quas soli Deo acceptas refert: nec non pro alia quadam nupperrima (sed simili) occasione.

1 O Deus, ex animo referam tibi munera laudum,
Militiæque canam fortia gesta tuæ.
2 Digna triumphali dicam tibi carmina pompâ,
Cui proprium invictâ est bella movere manu.
3 Ex acie dum pulsa cohors inimica recessit, 1Sam17.51,52
Opposito periit victa caterva Deo.
4 Sedisti in solio nam tu, Deus, arbiter æquus, 1 Sam. 17. 9.
Dum mea defendis vindice jura manu.
5 Ite mei hinc hostes, tua nomina nulla leguntur,
Raduntur nullâ restituenda die;
6 O! rerum facies quantùm diversa priori!
Oppida qui quondam diruit, ipse jacet.
7 Sed, Deus, idem omnes vivis tu victor in annos,
Judicis in solio quàm! metuende tuo.
8 Attonito unde dabis tua jura æquissima mundo,
Nec magis æqua bonis, nec minùs æqua malis.
9 Non erit oppressi tua lingua oblita clientis,
Nec dubia in mediis ara reperta malis.
10 Ad tua confugient justissima numina gentes,
Dum tu turbæ audis spes, columenque tuæ.
11 Laudibus his reboent ergo juga sacra Sionis,
Et populo fiant publica facta Dei!
12 Cujus, dum raptos justorum inquirit in annos,
Ultrici pœnas exigit ira manu:
Qui miseris facilem clamantibus admovet aurem,
Quique inopum memori pectore verba tenet.

1 Sam. 17. 44. 13 O Deus, eripiens mortis me faucibus atræ,
Tu miserere, hostis quem petit ira, mei.
14 Sic tua per populos dicam præconia laudum,
Discat ut in portis hæc tua facta Sion.
15 Discat, ut in proprios gens incidit improba sulcos,
Et pedibus tendit retia facta suis:
16 Ut sua jura fidemque Deum servâsse fatemur;
Dum stolidi in laqueos, quos posuere, cadunt:
17 Ut Deus infernas adigit metuendus ad umbras,
Immemorem gentem quam videt esse sui.
18 Durat ut in longum patientia pauperis ævum,
Expectata seges nec male fallit herum.
19 Surge, Deus; nè vile pecus sua robora jactet,
Impia te coram Judice turba tremat;
20 Illius attonitos gelidus pavor occipet artus;
Territus ut discat, quàm sit inanis, homo.

PSALMUS X.

Occasio hujus Psalmi haud satis apparet; sed palam est Psalmistam hominum impiorum consilium, & sensus ad vivum depinxisse.

v. 1. Deut. 4. 7. 1 TAM procul ignotis quianam Deus exulat oris,
Et sua temporibus supprimit ora malis?
2 Impius imperiis vexat lascivus egenum;
Vexatus simili sit, precor, ipse modo,
3 Impius exultans, & amore incensus habendi,
Laudat avarorum, quos Deus odit, opes.
4 Contemptor nihil ille Deum, nec talia curat;
Semper ab eventu facta notanda putat.
5 Ille, oculos quoniam vindicta remotior exit,
Provocat (heu! miti fortis ab hoste) Deum.

6 Dum

6 Dum ſibi ſucceſſu videt omnia cedere, verti
Ominibus credit non ea poſſe malis.
7 Verba prophana fluunt perjuro ex ore; fatentur,
Ut melius poſſint fallere, vota Deum.
8 Conditus obſcuris villæ ſedet ille latebris,
Tutus ut incautum perforet enſe latus.
9 Ut leo, dum latitat prædamque moratur in antro,
Inſilit armentis, & rapit ore greges;
Improbus haud aliter venienti accurrit amico,
Nec minùs ore ferox, nec minùs ungue rapax.
10 Converſis ſtudiis, partes agit ille modeſti;
Lumina, fixa tenens, plena pudoris, humo.
Nec minus incauto ſimulata modeſtia damnum
Afferet, amplexu pernicioſa ſuo.
11 Immèmor aut Deus eſt, aut omnia negligit, inquit;
Nèc vacat exiguis rebus adeſſe meis.
12 Surge Deus, ſceleris vindex manus arguat illum,
Teque ſui memorem faſque nefaſque probent.
13 Quò trahit audacem cœli indulgentia plebem,
Dicat ut ignavum turba prophana Deum?
14 Quem neque conſilium turpe, aut injuria fallit;
Cui proprium eſt damno damna referre pari.
Illum ergo pauper, nato pia mater adempto,
Illum ergo proles orba parente, petit:
15 Conteret injuſtæ qui fortia brachia turbæ,
Impietas donec ſtirpe reciſa cadet.
16 Ille ſuis gentes ſceleratas expulit oris, Joſh 10. 42.
Sceptra per innumeros dum ſua torquet avos.
17 O! inopum auditor facilis, qui rite parati
Pectoris incaſſùm non finis ire preces;
18 Defende inſontes, defende parentibus orbos;
Nè vehat ad cœlum ſe, modò pulvis humi.

PSALMUS XI.

Saule persequente Davidem bello, David perfidiosè admonetur à quibusdam, ut se reciperet ad montem fugæ suæ, perquàm opportunum: Quale responsum his rettulit, ex ipso Psalmo satis ediscas.

1 DICITIS ad montem cur vos mihi, passeris instar,
I fuge, cùm Deus est spes, columenque meum?
2 " Ecce genu lunat (cur dicitis) improbus arcum;
" Nervoq; aptatur sæva sagitta suo;
" Dirigat occultà ut fugientia spicula dextrâ,
" Et diram in justo pectore condat acum?
3 " Si legum, & sublapsa ruant fundamina rerum,
" Quid pietas, sese quo tueatur, habet?"
4 En! Deus in sacro regnat super omnia monte,
Quicquid agunt homines, desuper ille videt.
5 Ille probat justos: quibus est nocuisse voluptas,
Hos odio, placidæ pacis amator, habet:
Gen. 19. 24. 6 Fundet in hos, imbres & olentes sulphurâ flammas,
Ventorum horrisono turbine fulmen agens.
7 Justitiæ sed dulce Deo est, & amabile nomen;
Cui, vultu arridens, gaudet adesse, suo.

PSALMUS

PSALMUS XII.

Ad eundem pſalmo David. cum Deo queritur de perfidia Doeg, & Ziphitum.

AFFER opem, Deus; heu! pietas nam nulla relicta eſt;
Inter amicitias rara reperta fides.
Quiſque ſuo inſidias fallax meditatur amico, v2. 1Sam. 22. 9
Fictaq; ſub duplici pectore verba refert. —23. 19, 20.
Sed Deus aſſuetam mendacia fingere linguam —26. 1, 2, 3.
Eruet, & grandi quæ ſolet ore loqui:
Quæ ſibi dicendi jus arrogat omnia; quæq;
Nos ſuper imperium quis Deus, inquit, habet?
Surgam, ait, (oppreſſi nunquam immemor ille clientis)
Ipſe ego cauſam inopum jam, Deus inquit, agam:
Cujus verba fluunt puriſſima, more metalli,
Quod terrâ effoſſum ſeptima flamma coquit.
Cuſtodire tuum eſt, Deus, & defendere juſtos;
Qualis ab infeſtis agna tuenda lupis.
Nam ſcelerata manus dum rerum torquet habenas,
Effræna impietas in ſcelus omne ruit.

PSALMUS

PSALMUS XIII.

Haud liquet quibus Davidis afflictionibus conveniat hic cum Deo quæstus.

1 QUi fit, ut in nullos tibi sum memorabilis annos,
Et tua conduntur nubibus ora, Deus?
2 Anxius usque premam miserum sub corde dolorem?
Usque triumphabit me super hostis ovans?
3 Volve meos animo casus tristesque labores,
Ne mea victa, Deus, lumina morte cadant;
4 Dicat & insultans morienti, "en! vicimus," hostis:
Atque meis lætus gaudeat ille malis.
5 Sed tua sola meam, Deus, alligat anchora navem,
Nec metuam in portu dum jacet illa tuo.
6 Hinc tua carminibus recinam præconia laudum,
Munera qui fidei das mihi digna meæ.

PSALMUS XIV.

Constat à Absalonis seditione, David in universam populi à Deo defectionem invehitur.

1 DIXERAT insipiens tacito sub pectore nullum,
Dum dubius secum disputat, esse Deum.
2 Nam scelerum, vetitique nefas amor omnibus idem;
De grege justitiæ nec manet unus amans.
2 Lustravit terras Deus arduus undique, quærens,
Qui saperet, toto si foret orbe, Deum.

3 Errabunda

3 Errabunda hominum vidit vestigia; planta,
Quæ rectâ incessit, non erat una, viâ.
4 O! ignara Dei quò tu grassabere turba,
Quæ comedis gentem, sit quasi præda, meam?
5 Tu gelidâ concussa tremes formidine, Cæli
Numina cum videas semper adesse bonis.
6 Quàm sprevisse Dei te jura æquissima nolles,
Insonteſque tuis erubuisse jocis?
7 Exspectata, Sion, quando tua limina visam, 2 Sam. 19. 9.
O! Domus æterno numine digna Dei?
Cùm sua captivi repetent altaria Justi,
Læta triumphabit quàm tua turba, Jacob?

PSALMUS XV.

Jujusce Psalmi occasio æquè convenit temporibus, cùm David arcam in montem Sionis collocaverit, ac cùm istuc redierit post conspirationem Absalonis; sed ut certiorem te facias, consule, 2 Sam. 6. 19.

1 QUEM sinet angelicas sanctorum habitare tabernas,
Inque suo sacro vivere monte, Deus?
2 Integer in recto vitam qui tramite ducit,
Verbaque de fido pectore prompta refert.
3 Qui nunquam fallax absentem rodit amicum,
Nec ciet insanis prælia nata jocis:
Rumorem incertum nimium nec credulus edit,
Quo læsum alterius murmure nomen erit:
4 Pectora qui vitiis addicta perhorret & odit;
Sed Deum honorantes officiosus amat:
Juratâ qui nulla fide promissa fefellit,
Polliciti damnum sed feret ipse sui:

5 Qui

Exod. 22. 25. Deut 23. 19, 20

5 Qui non ditescit positis in fœnore nummis;
Nec falsi testis præmia dira tulit.
Moribus instituens his vitam, tempore nullo
(Nec prece, nec pretio mobilis) ille cadet.

PSALMUS XVI.

Hic Psalmus componi videatur, exulante David patria sua circa montem Hachilam, & Solitudinem Nemoris Ziph. Hujus Psalmi in fine, Prophetica Resurrectionem corporis Christi manifestè imm

1 O Deus insomnis tua me custodia servet,
Unica tu rebus porta, salusq; meis.
2 O, mea vita, Dei, voto damnata, memento;
Qui licet officiis non eget ipse tuis,
3 Sed Sanctis prodesse potest tua copia rerum;
Cura meæ, quorum commoda, mentis, erunt
1 Sam. 26. 19. 4 Qui mentita Dei venerantur numina falsi,
Pectora perpetuo plena dolore gerent.
Votivi faciam nunquam his ego sanguine tauri,
Nec repetam ficti nomen inane Dei.
5 Terra mihi Deus est, Deus est mihi pocula plc
Quo sunt imperii jura tuenda mei.
6 Quam mihi concessit, terra est ditissima frugu
Et pleno cornu prodiga fundit opes.
7 Laudibus ergo illum tollam, vestigia rectà
Qui mea me docuit ponere, nocte, viâ.
8 Ante oculos fuit ille meos in imagine præsens;
Nec metuam, ad dextram, dum sedet ille mea
9 Hinc secura meum pertentant gaudia pectus,
Exultatque animæ gloria summa meæ.
Spes mea suadet enim in sua corpora posse revc
Corpora, quæ gelidâ contumulantur humo.

10 N

10 Nec finet hanc animam Deus usque manere sub
Orco,
Nec Styga Sanctificum posse tenere diù.
11 Ille mihi monstrabit iter, quà semita vitæ est;
Millia quem circum gaudia sponte fluunt;
Manat inexhausto de quo, sine fæce, voluptas
Fonte, voluptatum nescia turba mori.

PSALMUS XVII.

Hoc psalmo David se criminis absolvit affectandi imperium Saulis; & à consilio privandi illum vita se abhorruisse Deum testatur.

1 JUS, Deus, observa, dum verba precantia fundo,
Quæ tibi de puro pectore prompta fero.
2 Libra tuâ demissa manu dependeat æqua,
Ponitur in trutinâ dum mea causa tuâ.
3 Perscrutare, Deus, mediâ mea pectora nocte,
Me nec aget sceleris lingua, reumve manus.
4 Nè vaga profiliat frænis natura remotis, 1 Sam. 24. 9.
Lex tua sit vitæ norma, moduſque meæ. —— 26. 8.
5 Sustentata tua mea sint vestigia dextra,
Nè via fortè meos fallat iniqua pedes.
6 Ad te clamantem placabilis accipe vocem,
Attingant aures & mea verba tuas.
7 O tu, cultorum fidissima cura tuorum,
Ex avido servas qui pecus ore lupi;
8 Defende, alarumque tuâ me conde sub umbrâ:
Quoq; oculum servas, me tueare, modo.
9 Improbus insidias struit hinc, struit improbus indè,
Sed tua me sævo servat ab hoste manus:

10 Ilia qui pingui incedens abdomine ducit,
Inflato & tumidos efflat ab ore sonos;
1 Sam. 23. 26. 11 Nunc tardum expectans, nunc præcedentibus instans,
In terram, ut vacuus, lumina fixa tenet;
1 Sam. 23. 7, 8. — 24. 2. 12 Qualis in umbroso latitat leo sæpe recessu,
Dum catuli stimulans provocat ora fames,
13 Surge, Deus, dirisque suis malus excidat ausis;
Nec gerat ille tuæ vindicis arma manûs.
Me, velut ense tuo, sceleratâ hâc eripe turbâ,
Vita quibus nimium sufficit una brevis;
14 Qui non solliciti rerum cognoscere causas,
Prospera fata sui muneris esse volunt;
Prole novâ turgere vident quia viscera matrum,
Quæ vivit nullo deficiente penu.
15 Non me progenies generoso stemmate nata,
Sed tua visendi spes fovet ora, Deus;
Cùm mea vita nova exultabit imagine formæ,
Cui si vis similem fingere, finge Deum.

PSALMUS XVIII.

Hoc Psalmo David Deo gratulatur de omnibus [illegible] *victoriis, præsertim illis, quas Syrijs, & Philis*[illegible] *nis extorserat.*

1 Sam. 22. 1, 5. — 23. 14, 19, 23, 29. — 24. 2. — 26. 13. 1, 2 TU clypeus, tu tela, Deus, tu certa salutis
Anchora, tu turris, tu mihi portus eris:
Ergo meæ custodem animæ, te semper amabo,
3 Et laudes totis viribus usque canam.
4 Nam mihi præsentem intentabant omnia mortem,
Cinxit & impietas me, velut unda tumens.
1 Sam. 23. 26. 5 Sæpius insidiis ita me laqueaverat hostis,
Nulla meæ fuerat porta relicta fugæ.

6 Sol[illegible]

6 Sollicitam his curis erexi ad sidera mentem,
Assiduas fundens, impiger ore, preces:
Quos Deus ex alto (miseris succurrere præsens)
Lassata querulos imbibit aure sonos.
7 Irato tremuere Deo fundamina terræ;
Suntque suis montis culmina mota locis.
8 Qui silvas rapiunt, spirat de naribus ignes;
Et fumi undantes torquet ab ore globos.
9 Sub pedibus pressus cœlorum invertitur arcus;
Et piceâ condunt nubila veste pedes.
10 Ocyus angelicâ vectus volat ille catervâ, 2 Sam. 5. 24.
Et rapidos motus ventus anhelus agit.
11 Incubuit nocti secreto e carcere ductæ;
Et sedem involvit nubibus unda nigris.
12 Diffugiunt tenebræ, glomerataq; nubila ventis, Josh. 10. 11.
Dum circum vultus emicat orta dies;
Nube fugatâ, ardens subitis micat ignibus æther,
Eliso horrendus dum sonat igne fragor.
13 Nimbosum intonuit, jam misso fulmine, cœlum; 1 Sam. 7. 10.
Et niveum crepitat grandinis imbre solum.
14 Cœlestes decorant hæc tela tremenda triumphos;
Hæc sunt, devictis hostibus, arma Dei.
15 Dum furit Omnipotens, nudantur viscera terræ;
Et fons secretum pandit hiulcus iter.
16 Sed Deus his animam emergentibus eximet undis,
Et mea de mediis efferet ora vadis.
17 Ignibus his cinctus, jussisque potentior undis,
Invisо imbelles servat ab hoste Deus.
18 Cautus in angustos aditus me duxerat hostis, 1 Sam. 23. 2.
Explicuitque suas turma inimica manus.
19 Sed Deus (auspiciis cujus mea bella geruntur)
Me, Keila, e muris impulit ire tuis.
20 Ille meam immunem sceleris mentemque, manumque 24.
Vidit, & his salvum me velit esse modis.

21 Jura Dei quoniam non aſpernata reliqui;
22 Sed mea vita fuit legibus apta regi.
23 Integer in recto veſtigia tramite fixi,
Ac Deus ante oculos ſi foret uſque meos:
1 Sam. 26. 23. 24 Ergo mihi juſtæ fructus decerpere vitæ,
Et ſine labe dedit præmia ferre manûs.
25 Mutua clementes ſequitur clementia mores,
Ducet et ad juſtas te via juſta vias.
26 Æquis æqua Deus, puris ſua pura rependit;
Dum ſtimulo tardos increpat ille greges.
27 Erigit oppreſſos, humileſq; attollit in altum,
Et premit incurvo colla ſuperba jugo.
1 Sam. 27. 1. 28 Ille meæ accendit ſplendentia lumina vitæ,
Et tenebras humilis lampade fortis agit:
2 Sam. 5. 7. 29 His erit auxilijs facilis mihi vincere turmas,
Et ſuperare hoſtis mœnia celſa, labor.
30 Nam via recta Dei eſt via perfectiſſima, cujus
Verba probata carent pondere nulla ſuo:
Ille velut clypeo juſtum ſeptemplice condit,
Et quaſi lorica pectus inerme tegit.
31 Quis Deus eſt alter, qui numine ſidera torquet?
Rebus in adverſis quis ferat alter opem?
2 Sam. 5. 10. 32 Ille meas longo belli inſtruit ordine turmas,
Reddit inacceſſas hoſtibus ille vias:
33 Dextram aciem, lævamque equitum velocibus alis
Cingit, & his ſummos occupat ille locos:
34 Incurvare docet validis me viribus arcum,
Dum nimio flexu fracta metalla ſonant;
35 Ille mea, aptato clypeo, veſtigia fixit;
Meque agili inſtruxit tela movere manu.
36 Per loca præruptis me ſaltibus invia duxit,
Et rigidæ fiunt æquora plana viæ.
37 Ocyùs inſtabam fugienti fervidus hoſti,
Ingenti victor non ſine clade redux,

38 Icta meis telis, exhauſtaque vulnere crebro,
Succubuit pedibus ſaucia turma meis.
39 Nam Deus accendens ardentem in prælia mentem,
Aptavit tunicâ pectus, & enſe manum.
Ille dedit gentes mihi poſſe domare rebelles:
40 Ille inimica meo colla premenda jugo.
41 Implêrunt miſeris clamoribus æthera turmæ;
Nec Deus auxilium, nec tulit alter opem.
42 Expoſui levibus rapienda cadavera ventis,
Et fuit humanis oſſibus albus ager.
43 Me populi fremitu & diſcordibus extulit armis, 2 Sam. 5. 1.
Et genti impoſuit me caput ille novæ: — 18.
Rex ego, ſceptra tenens, ignota per oppida dicar; — 20.
Et cadet imperio terra remota meo.
44 Longinquæ audito trepidabunt nomine gentes;
Gente procul, gratum diſſimulante jugum:
45 Aggere munitis metuens confidere muris,
Imperio cedet terra remota meo.
46 Vivat in æternum pacto mihi fœdere junctus,
Ævum laudandus vivat in omne Deus:
Qui vindex animos mihi debellare ſuperbos,
Et gentis tumidæ ſub juga colla dedit:
48 Ille mei rabidas hoſtis compeſcuit iras,
Et ſuper hoſtiles extulit ora greges:
49 Per medias ergò dicam pia nomina gentes,
Ut palmæ diſcant cui referendus honos.
50 Ite pii reges, ter & amplius ite beati;
Hæc Deus innumeris omina fecit avis.

PSALMUS

PSALMUS XIX.

Ex admirabili hujus mundi structura Psalmista Deum esse probat; dein, facili transitu, solem & Legem analogia satis apta confert.

1 AUTOREM mundi moles operosa fatetur,
Stellarumque probat lucidus ordo Deum.
2 Præteritam noctem lux excipit alma diei,
Alternam sequitur nox reditura diem.
3 Ista novos hominum ferìunt miracula sensus;
Omnibus hinc idem relligionis amor.
4 Impiger immensum Sol lumine circuit orbem,
Et tropicos motus sentit uterque polus:
5 De roseo surgens fugit ocyùs ille cubili,
Et sponsalitiâ veste coruscus ovat;
Arrectum magis accendit nec palma gigantem,
Dum rapidos cursu vincere gaudet equos.
6 Describit radiis vastum ille volubilis orbem,
Fœcundat tepidum dum procul igne solum.
7 Legibus & Solem propriis, mentemque coërcet
Legibus humanam, qui regit astra, Deus.
Legibus æternis sua stat sententia fixa;
Et Legem sanctam qui sapit, ille sapit.
8 Sol animos recreans, revocat per membra vigorem;
Pectora justa Dei nec minùs urit amor:
Recta viatori via lumine Solis aperta est;
Nec justi emicuit luce minore via.
9 Sol manet æternùm puro nitidissimus orbe;
Deut. 12. 32. Lex manet æternùm, purior igne, Dei.
Tempora signantem, Solem quis dicere falsum
Audeat, aut Leges insimulare mali?

10 Pl

10 Plùs valet hæc auri Sapientia pondere puri,
Et melle Hyblæo dulcior illa ſapit.
11 Arte feros animi docet illa domare tumultus;
Artibus his doctos præmia quanta manent!
12 Sæpius immemorem quem non ſua crimina fallunt?
Delicta ex animo dilue ipſa meo:
13 Nec, Deus, audacis ſit mens mea conſcia culpæ,
Quæ me devinctum ſub juga dura trahet:
Sic bene moratæ degens mea tempora vitæ,
Non illo ingenti crimine læſus ero.
14 Quæ loquor, & quæcunque meo ſub pectore volvo,
Sint, Deus, hæc oculis accipienda tuis:
15 O mea, tu, turris, validæ mea robora dextræ,
Tu, pretio redimis qui mea colla tuo.

PSALMUS XX.

David (ſub perſona populi) precatur à Deo, ut bellum quod ipſe ſuſcepturus eſt contra Ammonios & Syrios, bene atque feliciter eveniret.

1 TE Deus incolumem ſub iniquo tempore ſervet, 2 Sam. 10. 9, 10, 11, 12.
Fœderis antiqui, te Deus ille, tenax.
2 Auxiliatrices mittat de ſede catervas,
Et ferat ex alto monte Sionis opem.
3 Nec tua aromatico redolentia thuris odore,
Immemor accipiat munera aduſta Deus.
4 Ille tuo cordi gratiſſima munera donet;
Quodque tuis rebus convenit, illud agat.
5 Bella his auſpicijs, fera bella movebimus omnes; 2 Sam. 10. 3, 4.
Signa attollemus, bellica ſigna Dei.

Ille

Ille tuis fausto respondeat omine votis,
Et desiderijs annuat ille tuis.
6 I Rex, & victor jam nunc assuesce vocari;
Ire per oppositos jam videare globos.
2Sam.10.6,8. 1Chron.19,7. 7 Est qui falcatis, Syrio de more, quadrigis;
Est qui, dispositis ordine, fidit equis;
Non equitum turmis, non junctâ umbone catervâ,
Accingi; memores nos juvat esse Dei.
8 Hinc labentis equo; curru fracto, inde videre est
Vulnera; dum firmo stat pede nostra phalanx.
9 Defende, & Regem adversis, Deus, eripe telis;
Nam populi pendet Regis ab ore salus.

PSALMUS XXI.

Hoc psalmo David (sub persona populi) Deo gratias agit pro victoria de hostibus suis parta, cum quibus Psalmo proximo ante, bellum commissurus erat; ideoque haud improprie dicatur Psalmus triumphalis.

1 NUMINE tuta Dei, exultabunt pectora Regis,
Qui lætus fuso victor ab hoste redit.
2 Hâc ope namque suo cecidêrunt omnia voto;
Cor habet expletum, nec sibi velle datur.
1Chron. 20.2. 3 Prævenit precibus Cœli indulgentia, Regis
Dum decorat nitidas aurea serta comas.
2Sam.7.12,16 19. 4 Ille senectutem longam rogat; annuit illi,
Et Deus optatos dat sine fine dies.
2 Sam. 7. 9. 1Chron. 14. 2, 17. 5 Regis honoratâ quam! splendet gloria famâ,
Protegit invictâ quem Deus ipse manu.
1Reg.8.15,20 56. 6 His aget auspicijs felicia tempora vitæ,
Et placido vires sumet ab ore novas.

7 Inimi

7 Inniti auxilijs his ſtat ſententia Regis;
Ille, favente Deo, nec quatiendus erit.
8 Nam Deus occultos in apricum proferet hoſtes,
Fulmineo armatam dum rotat enſe manum.
9 Haud ſecùs ac rapiunt antiquam incendia ſilvam,
Diruet hoſtiles Numinis ira globos.
10 Exſcindet gentes; &, ab hoſtis origine, prolem;
Nec pia qui patris lumina condat, erit.
11 Namque Deo auderent Hoſtes concurrere telis,
Vanum affectantes ambitionis opus.
12 Verſa fugæ ſed terga dabunt inhoneſta, ſagittam
Cùm Deus ex arcu mittat in ora ſuam.
13 Sit, Deus, hinc hoſtis, tua gloria ſola, triumphus;
Et canat invictas læta caterva manus.

PSALMUS XXII.

Hoc Pſalmo David (ſub ſua perſona) Chriſti afflictiones & Pathos, etiam in ipſo mortis articulo, præſentire, & ferre quam familiariter videtur; nec non paulò poſt de ejuſdem exaltatione, & imperio univerſo vaticinari.

1 O Deus, alme Deus, miſerum cur eminùs arces, Matt. 27. 46;
Accipis & ſurdâ tam procul aure preces?
2 Noctes atque dies tibi verba precantia fundo,
Sed mea te nunquam vox iterata movet.
3 Quiſnam injuſtitiæ ſed te, Deus, arguet, O tu
Iſacidum columen, præſidiumque domus?
4 Finibus exacti in te ſpem poſuêre parentes;
5 Et repetit patrias gens vagabunda domos;
6 Sed quis ego dicor, niſi fœdo in pulvere vermis,
Quem fugat inſanis turba proterva jocis?

Matt 27. 39, 43. 7 Coram me, nimio eſt plebecula rupta cachinno;
Mobile dedecoris dat mihi ſigna caput:
Protuſis labijs inopem gens improba ridet;
Matt. 27. 43. 8 Cœli, ait, auxilium, quod ſibi ſperat, habet.
9 Protulit e tumido ſed quis me viſcere matris,
Qui fueram gravidæ dulcæ parentis onus?
Hærebam in gremio molli dum pendulus infans,
Ubera pendenti quis mihi lacte dedit?
10 Quis mihi creſcentes annos, & tempora vitæ,
Ex quo deveni garrulus ore, dedit?
11 Tu Deus in cunis, Deus es creſcentibus annis;
Nec mihi præſidio qui foret, alter adeſt.
12 Hinc armenta boûm, terrent mugitibus inde
Taurorum horribilis grex, nemorumque tremor
13 Qualis hians immane Leo, mihi faucibus inſtat
Improba turba minax, improba turba rapax.
14 Defluit in venis ſanguis meus inſtar aquarum;
Et mea perpetuus diſlocat oſſa dolor;
Mollia præ nimijs curis mea corda liqueſcunt;
Qualis ab oppoſito cera liquenda foco:
15 Membraque torrentur ſine viribus arida; qualis
Uritur admoto fictilis urna foco;
Inſipidoque tenax hæret dum lingua palato,
Vix ſatis exactum eſt, corpus, an umbra, foret
16 More canum coëunt hoſtes, velut agmine facto,
Inſequitur leporem per nemus omne chorus.
Matt. 27. 35. Luc. 23. 35. 17 Oſſa ſub incurvis ſpectantur candida lumbis;
Perforat haſta manus, perforat haſta pedes.
Luc. 23. 34. Joh. 19. 23, 24. 18 Diviſam in partes veſtem ſuper alea jacta eſt,
Quadratumque ſuas cuique miniſtrat ebur:
19 Ora feras propiora mihi! jam numine præſens
Sis magis! impatiens ſum, Deus alme, moræ!
20 Numen ab enſe tuum defendat amabile pectus,
Et latus intactum ſervet ab ore canis.

21 Sp

21 Spumantes animosi iras compesce Leonis;
Cornigeræ indomitam vim, rabiemque, feræ. Hebr. 2. 11, 12.
22 Sic inter socios tua facta ad sidera tollam,
Donec narrantis pendet ab ore chorus.
23 Te genus Isacidum canet hinc, genus inde Jacobi; 1 Chron. 16.
Justorumque omnis te pia turba canet.
24 Namque inopi fueras rebus solamen in arctis;
Nec durâ querulas accipis aure preces.
25 Te quare in mediâ juvenumque senumque catervâ, 1 Chron. 16.
Teque meo, medijs Patribus, ore canam.
26 Pauper inopsque meæ comedet convivia mensæ,
Et fœcunda geret pectora laude Dei.
27 Sanguine Te sata gens venerabitur omnis eodem;
Te colet ante aras ultima terra tuas.
28 Terra tuum imperium est, lateque per omnia regnas;
Solus & imperio sufficis ipse tuo.
29 Dives opum, lautis solitusque accumbere mensis,
Ille tuas comedet, quas coquit ara, dapes. 1 Cor. 10. 18.
Turba omnis moritura tibi sua debita solvet,
Debuerat vitam cui prius illa suam.
30 Proveniet numerosa meo de stemmate proles,
Quæ feret in memori pectore facta Dei;
31 Hæc seris credenda nepotibus omnia tradet,
Et nondum natis munera, digna fide.

PSALMUS XXIII.

Seditione Absalonis jam penitus compressa & sedata, David suam obstinatam erga Deum fidem profitetur.

1 O Custos ovium, Deus, & gregis optime pastor,
Me curam nimium sufficit esse tuam.
2 Te duce, graminei discerpam pabula prati;
Et vada fonticulos propter amœna bibam.
3 Errabunda gregis vestigia tramite recto
Dum regis, hoc ingens dat tibi, nomen opus.
4 Mortis in umbrosis gelidæ dum vallibus erro,
Passibus haud timidis, te duce, carpo viam;
Innixos baculo gressus tua figit arundo,
Indicat incertas & tua virga vias.
5 Dum madet unguento, & plenis mea mensa lagenis
Macrescit dapibus turba inimica meis.
6 Ite meæ annosæ felicia tempora vitæ;
Felix ille habitat, cui domus ara tua est.

PSALMUS XXIV.

Hic Psalmus compositus est à Davide, cùm Arca Dei ex domo Obed-Edom deportata, in montem Sionem collocata est; cujus introitum in templum Rex David frequentia maxima civium, & splendore hominum summorum celebravit. Psalmus nequaquam pompa inferior.

1 TERRA Dei est; regni fines nec termina
Orbis;
Nec totum hoc ingens, quâ patet Orbis, opus.

2 Ille ſuper fluctus poſuit fundamina terræ;
Et ſuperimpoſitis pondera librat aquis.
3 Cui licet ad ſuperum tamen hinc aſcendere montem?
Aſſurgetque ſacro quis pius ille choro?
4 Qui puris vivit manibus, qui pectore honeſto;
Et non elato corde ſuperbit ovans:
Qui falſi nunquam vendit perjuria teſtis;
Turpiter, aut teſtis quæ male vendit, emit.
5 Ille choro aſſueſcit jam nunc conſidere ſancto,
Ille ſalutifero munera ferre Deo.
6 Cœlicolum hæc vitæ ratio eſt, hic denique finis;
His tua templa, Jacob, ſunt adeunda modis.
7 Pandite cœleſtes, vos limina pandite, portæ;
Jam ſit aperta domus; qui venit, ecce Deus.
8 Qui venit, ille venit radiantibus inclytus armis,
Cui valida in bello fulminat igne manus.
9 Ecce venit, domus alta, tibi gratiſſimus hoſpes;
Pande tuas, moto cardine, pande fores.
10 Quiſnam ille eſt tanti, ut pandantur limina Templi?
Gloria belligeri, gloria ſola Dei.

PSALMUS XXV.

Sunt, qui volunt Davidem in hoc Pſalmo ſuum adulterium lamentari.

1 NITITUR ad ſuperas mea mens aſſurgere ſedes,
Et tecum in Cælis vivere poſſe, Deus.
2 Spes, inimicorum, ne ſit mea vana, triumphus;
Nec mea famoſus denotet ora pudor.

3 Con-

3 Confundat pudor hos, quibus eſt peccâſſe voluptas;
Et quo lædunturcrimine, crimen amant.
4 Juſtitiæ manifeſta mihi ſit ſemita, ne me
De rectâ obliquum devius error agat.
5 Dumque in ſignato veſtigia tramite firmo,
Juſtitiæ pedibus ſit via trita meis.
6 Sis memor uſque tui, qui me ſervavit, amoris;
Et bene cœpiſti quo pede, ſemper eas.
7 Mitte ſcelus memorare meum ſub mollibus annis;
Et mea, more tuo, crimina celet amor.
8 Quàm bene juſtitia & tua gratia ſede ſub unâ
Conveniunt! quam, te judice, vincit amor!
9 Ergo humilem erudies aſſueſcere legibus æquis,
Ducit ut, errantes de grege, paſtor oves.
10 Qui legum decreta, irruptaque fœdera ſervant,
Sumere ab his pœnas, hæc tibi pœna foret.
11 O tu, criminibus cui parcere dulcius omni eſt
Nomine, nequitiæ pondera tolle meæ.
12 Mente Deum ſiquis purâ venerabitur, illi
Omnia ſuccedent, quo cupit ipſe modo.
13 Ille geret vitam placidâ cum pace quietam;
Filius & patrios vomere findet agros.
14 Sancta, Deus, juſtis pandis myſteria legum;
Nec tua devinctos fœdere jura latent.
15 Te ſequar attentis, & contemplabor ocellis,
Nec pedibus metuam retia tenſa meis.
16 Ne mea ſit rapidis agitata carina procellis,
Et mea ne medio deſere vela mari.
17 Cura frequens, animamque meam dolor obruit in-
gens;
O mea de mediis exime corda malis.
18 Parce mihi, atque meum, Deus, obliviſcere cri-
men;
Illinat & culpas una litura meas.

19 Quo

19 Quot premor adversis (miserum, Deus, aspice) telis!
Implacati hostis quàm, fremit ira mei!
20 His rabidis furijs, mequè his, Deus, eripe telis;
Credula dicatur, ne mea vana fides.
21 Me virtute meâ involvam, mea candida solam
Simplicitasque tuam sollicitabit opem.
22 O domus Isacidum, sancto sata semine, vitæ
Per varios casus te ferat usque Deus.

PSALMUS XXVI.

Ut occasio hujus Psalmi tibi in majus innotescat, perlege 1 Sam. xxiv. 9.

1 ECCE meos mores; vitæ, en! Deus, integer adsum, 1 Sam. 19. 4. ---24. 11, 12.
Tu mea sola domi spes, mea sola foris.
2 Perscrutare meos ex imo corde recessus,
Inque meo si sit pectore culpa, proba.
3 Ante oculos versata tui stat amoris imago;
Et trita est pedibus semita recta meis.
4 Proditor haud sellâ sedit mihi junctus eâdem,
Limina nec tetigi conscia facta dolis.
5 Conventus hominum ex animo detestor iniquos;
Et mens consiliis horret adesse malis.
6 Integer irriguo palmas ego fonte lavabo;
Et lustrabo aras, quas rigat unda, tuas:
7 Pro meritis ubi grata tuis præconia dicam,
Et tua mira meis laudibus acta canam.
8 Ante domos omnes rident mihi limina templi,
Fulget ubi proprio lucidus ore Deus.

9 Ne

9 Ne sine cum pravis socio me fœdere jungi,
Humano quorum est sanguine tincta manus;
1 Sam. 25. 15, 16. 10 Dextera muneribus quorum est sæpe oblita sœdis,
Dum male selecti Judicis arca patet.
11 Integer in recto gressus ego tramite figam;
Hoc, Deus alme, tui fiat amoris opus.
12 Sic passu incedens æquo per marmora templi,
In medio extollam nomina sancta choro.

PSALMUS XXVII.

Psalmus Davidis, vid. 2 Sam. 21. 16, 17.

1 TE duce, quas metuam, quas, te, Deus, auspice, turmas?
Arma quis Heroum ventilat æqua tuis?
2 In me avido præceps licet irruat hostis hiatu,
Procumbet toto corpore pronus humi.
3 Imparibus numeris me copia nulla movebit,
Dum tua, cristato milite, castra sequor.
Ære cient in me licet arma rebellia Gentes,
Sat mihi militiæ signa movere tuæ.
4 Unum oro in templis, Deus, unum hoc, vivere tecum;
(Dulce mihi tecum vivere, dulce mori)
Scitantur quorum ex adytis oracula cœli,
Gloriaque infandi est conspicienda Dei.
5 Quo fugit adversis mea fluctibus obruta puppis,
Et latet in tuto condita cymba sinu.
6 Æquoris insanos erit hic mihi cernere fluctus;
Et dubiæ errores evolüisse viæ;
Hîc mea testabor semotis gaudia curis;
Et mea plena Dei pectora laudis erunt.

7 Hi

7 Hic fœiles, bibulasque Deum mihi porriget aures;
Et mihi responsum mollia verba ferent.
8 Quære meos vultus, cum tu mihi talia dixti;
Nil, respondebam, dulcius esse potest.
9 Obducta facies ne sit tua condita veste;
Nec rejice irato me procul ore, Deus;
Nec, mea sola salus, extremis desice rebus;
Auxilii vetevis sed memor esto tui.
10 Me pater invisum, fugiat mea mater alumnum;
Sed Deus heu! miserum me, magis almus, alet.
11 Disce viâ mea me vestigia ponere rectâ;
Implicat errantes improba turba pedes.
12 Sub ditione hostis neque sim redigendus iniqui,
Qui mihi perjuro spargit ab ore minas.
13 Jam fuerant oppressa malis mea pectora, sperent
Omine venturos ni meliore dies.
14 Sis patiens; Deus in præsens quæ tempus omittit
Commoda, restituet mox tibi; sis patiens.

PSALMUS XXVIII.

Psalmus Davidis, vide 2 Sam. 21. 18, 19, 20.

1 O Deus, in mediis turris mihi tuta periclis,
Ne mihi sis muto, dum premor, ore silens;
Qualis in obscuro jacet umbra oblita sepulcro,
Si fileas, ego sum nec secus umbra mei.
2 Tu precibus miteſce, mei miseratus, ad aras
Dum duplices toto pectore tendo manus:
3 Nec turbæ comes ire mihi contingat iniquæ,
Quæ simulat pacem, dissimulatque dolos.
4 Qui serit infelix lolium, legat improbus idem;
Et sceleri sceleris pœna sit æqua suo.

5 Impietas, quam nulla movent tua jura, nec acta,
Lugebit vacuam, dum perit ipsa, domum.
6 Secula sit Deus hinc laudandus in omnia; cepit
Namque meas facili, qua solet, aure preces.
7 Ille mihi vires, clypeusque ex ære coruscans;
Ille mihi optatam jam tulit æquus opem.
Illum carminibus tollam ergo ad sidera cœli,
Insolitis saliunt dum mea corda modis.
8 Ille salus populi est, & inexpugnabile robur;
Principis & populum qui regit, ille salus.
9 O Deus, astrictum tibi, serva semper utrumque;
Et, procul insidiis, otia tutus agat.

PSALMUS XXIX.

Psalmus Davidis, vide 2 Sam. 8.

1 TERRARUM Domini, cumulate altaria donis;
Quæ venit ex victis gloria, sola Dei est.
2 Illius, ut fas est, indicite nomina templis;
Quà micat interior numinis ore domus.
3 [Quem penes imperium pelagi est, & aquatica regna;
Quem penes imperium est aëris, unde tonat:
Circumfusa mari cujus vox incubat alto:
4 Nec minor imperio vox sonat illa suo.
Deut. 3. 9. 5 Illa ferit cedros, summasque in montibus ornos;
Sive tuas, Hermon; Lebane, sive tuas.
6 Lasciviæ, siquando velit, de more juvencæ,
Lebanon & Sirion saltat utrumque jugum.
7 Dividuos ictu dirumpit fulminis ignes;
Numb. 33. 36. 8 Et nemus illa tuum discutit omne, Cades.

9 Intonat

9 Inconat, & gravidæ ponunt sua pondera cervæ,
Dum vidua est lucebris silva caduca suis.]
Illum etiam in templis populi vox publica dicat,
Qui ponti tumidas altius urget aquas;
10 Qui regit Oceanum, propriâque coercet arena,
Dum, quibus ipse caret, finibus unda fluit.
11 Ille dabit genti lætos spectare triumphos,
Pacificâ indulgens otia grata manu.

PSALMUS XXX.

Psalmus Davidis, vide 2 Sam. 5. 11, ——16, 21.

1 TE laude extollam, Deus, usque ad sidera Cœli,
Et tua sublimi nomina voce canam;
Namque meæ renovas languentis tempora vitæ,
Nec fruitur lacrymis improba turba meis.
2 Ad te confugi dum membra infirma trahebam,
Et tua mox medicam dextra ferebat opem.
3 Illa meas vires, animamque redemit ab orco;
Deque meis rapuit me manus illa rogis.
4 Dicite grata Deo, vos carmina dicite, Sancti;
Eximat hæc memori pectore nulla dies.
5 Ira Dei brevis est, manet indulgentia semper;
Noctis agit luctus castina læta dies.
6 Per mare tranquillum dum me levis aura ferebat,
Et mea per placidas cymba cucurrit aquas;
7 Credideram turum fore me, stabilemque futurum,
Et solidi montis me tenuisse locum:
Sed Deus inductis sua condidit ora procellis,
Errabat mediis & mea puppis aquis.

8 Mox ego, mutata tibi, conditione, querebar:
" Quam prosum, modicis dulce lavis umbra, tibi?
9 " Quas tibi cantabunt defuncti in pulvere laudes?
" Quæque fidem memorabit ora sepulta tuam?
10 " Ah miserere, quas ego voce meas personet in aures?
" Auxilioque juva me, Deus, inque, tuo!
11 Tu mihi sustulisti animos, vitæque sedandas,
Et mea planta levi jam pede pulsat humum;
Jam mihi, qui fueram mæsto velamine cinctus,
Induis artifici tegmina picta manu;
12 Ut mea lingua tibi recinat præconia laudum:
Ergo, Deus, grates hinc tibi semper agam.

PSALMUS XXXI.

Psalmus Davidis, vide 1 Sam. 25. 26.

1 O Deus, incutiat pietas mihi nulla pudorem;
Jure tibi quem ex vindicat illa tuum.
2 Fargutam, Deus, inclina mihi protinus aurem;
1 Sam. 23. 25. Eripe me læva forsan ab hoste manus.
Quæque me defendat, circumdata, montibus altis,
Sis mihi de solido marmore facta domus.
3 O rupes immota mihi & solidissima turris,
Sint mea mitiria mœnia tuta tua.
4 Cautior insidiis hostilibus eripe nubem,
1 Sam. 23. 19, 20. Neve meos laqueos retia tensa pedes.
5 Me manibus commendo tuis, sum tutus in illis,
Nam mea veridico vena ab ore fluit.
6 Mendaces vanum nugas incredulus odi,
Sola ego fatidici consulo jura Dei.
7 Nota sub adversis mea sunt tibi pectora rebus,
Tempore quæ lætor sida fuisse malo.

8 II

Illa fides campos in apertos agmina duxit,
Nec sint in portis, Kella, manere tuis. 1 Sam. 23. 7. 9.
O miserere mei, quem læva tabe peredit,
Quemque graves oculos tollere cura negat;
Latrantem stomachum, & mea viscera rodit egestas,
Ægraque mens nimio victa dolore jacet.
Præcipitat vitam curis festina senectus,
Dum gemitus numerat quælibet hora meos.
Enervat vires olim mihi grata voluptas;
Et mea durescit, quæ tegit ossa, cutis.
Dum, mala turba, hostes in me convicia fundunt,
Audio, vicini læsus ab ore, malus;
Aut loca, me viso, in contraria transit amicus;
Aut pede inobservans prætereunte fugit.
Non aliter videor quàm fracta & inutilis urna,
Aut jam defuncti corpus inane viri.
Et famæ & vitæ timor est utrobique molestus,
Dum me selecti judicis ira petit.
Sed tamen insimulare reum me criminis, inquam,
Sit voluisse, sibi; non potuisse, Deo.
Namque meæ numerat Deus omnia tempora vitæ,
Nec sunt hostili fila recanda manu.
Tu diffunde, Deus, placidi mihi lumina vultus;
Et tibi conciliet me tuus almus amor;
Incutiat nullum mihi spes mea vana pudorem;
Sit mihi posse pati quæ fero, posse frui.
Impia pravorum sibi sint delicta pudori;
Mox tumulo jaceat culpa sepulta suo.
Mendaci, Deus, & mordaci os obstrue linguæ.
Quæ solet in justos verba superba loqui.
O! provida bonis, tua commoda quanta reponis!
Illa, ante ora virûm, quanta fuere, patent.

Tu

1 Sam. 23. 14, 19, 23. —24. 2, 3, 8.

20 Tu gremio accipies justos; tu tegmine condes
Hos, ubi linguarum prælia nulla fremunt.
21 Dignus laude Deus, turmas è mœnibus altis
Duxerat in campos qui, procul arce, meas.

1 Sam. 23. 26, 27.

22 Cum temerè dixi, nullam superesse salutem;
Ille meæ fuerat porta relicta fugæ.
23 Ite, Deum celebrate pio vos carmine, Justi,
Numine qui Sanctis gaudet adesse suo.
Ite, Deum celebrate omnes vos carmine, Justi;
Nam fastu tumidi præmia justa ferent.
24 Obdurate pii, hinc animosque attollite fortes;
Roborat invictâ pectora mente fides.

PSALMUS XXXII.

Psalmus Davidis Secundus, quem vocant: pœnitentialem.

1 VIVITE felices, quorum omnia crimina delet,
Et premit obscurâ condita nocte Deus;
2 Vivite felices, nullos quibus imputat ille,
Pectore sub tacito qui latuere, dolos.
3 Dum malè celavi vulnus, nova vulnera sensi;
Et mea corrosit flebilis ossa dolor,
4 Nam tua dura manus nimio me pondere pressit;
Et mihi, uri sterili deficit humor agro.
5 Injustæ agnoscam, dixi, tibi crimina vitæ;
Nec mihi confesso est pœna luenda reo.
6 Dum vires annique sinunt, tua pandite, justi,
Pectora propitio, pectora nuda, Deo:
Sic tua dum variis exercita fluctibus errat,
Non erit insanis obruta puppis aquis.
7 Dum mare turbatur, quòd in otia tuta recedo,
Littora votivo carmine pulsa sonent.

8 Vivere

ere qui nescis sapienter, dicta periti
Exaudi; & rectam, me duce, carpe viam.
" Ne vivas similis, qui calcitrat undique, mulo;
" Ferrea quem dominum vincla ferire vetant:
" Instar equi nec sis, cujus moderator habenis,
" Et duris inhibens vix regit ora lupis.
" Casus mille manent, & mille pericula pravos;
" Sed latus almus amor cingit utrumque boni."
Integra jam vitæ, vos, pectora plaudite, justi;
Plaudite, dum cœlum voce sonante tremit.

PSALMUS XXXIII.

Justorum meditatio in omnia Dei opera, tam Creationis, quam providentiæ.

O Justi, celebrare Deum vos sumite mecum;
Namque Deo gratum nos decet esse chorum.
Sumite vos citharam, cæloque attollite vocem;
Et dena argutæ tangite fila lyræ.
Instaurate novum carmen; quis talia fando
Carmina, carminibus possit egere novis?
Namque Dei æternùm manet immutabile verbum,
Et solidâ legum fœdera fixa fide;
Cœlorum varios determinat ille meatus,
Et sua habent noctes, & sua jura dies.
Hinc elementa fidem (jus inviolabile) servant;
Fœcundoque ferax viscere terra tumet.
Dixit; quæque vides, citiùs dicto omnia fiunt;
Induit & formam mox, rudis ante, chaos.
Dixerat; inque suum fugiunt maris æquora littus; Gen. 1. 9, 10.
Collectisque latens sufficit humor aquis.

8 Quem

8 Quem non percellunt miracula tanta timore?
Hinc venerari alto quem piget ore Deum?
9 Dixit; & ad vocem magnum per inane ruebant
Omnia, quæ proprio pondere fixa manent.
10 Ille, sua extollunt dum numina inania gentes,
Ridet mentitis irrita vota deis.
11 Æternum sed jura manent, sanctissima jura,
Queis sua perpetuis pectora pandit avis.
12 O fortunatam gentem, nimiùmque beatam,
Quam pastor proprium vult Deus esse gregem!
13 De cœlo terras aspectans arduus omnes,
14 Intuitu humanum prospicit ille genus.
15 Ille sigillatim videt omnia pectora solus;
In vitium flecti cerea, corda videt.
16 Impiger innumeris frustra Rex militet armis,
Et gerit incassum militis arma manus;
17 Frustra gaudet equo fugiente lacessere ventos,
Aut turmam oppositam rumpere, probus eques.
Nec fuga, nec vires valeant sine numine cœli:
18 Sed sedet invicto vir bonus altus equo;
Nam justi excubiis poreas Deus obsidet, illum
19 Nec finit ille fame, nec finit ense mori.
20 Ergo, Deus, semper tua numina sola moramur,
Quæ justi aprabunt ægidis ære manum.
21 Numina carminibus jam, sancti, tollite lætis;
Tollite carminibus nomina digna novis;
22 Vocibus alternis chorus ille remugiat omnis,
Vocibus alternis, hinc amor, inde fides.

PSALMU

PSALMUS XXXIV.

Psalmus Davidis, vide 1 Sam. 21. 11, 14, 15.

1 NOMEN in adverſo, nomenq; in tempore læto,
Nomen erit ſanctum ſemper in ore meo.
2 Te facilem eſſe mihi, Deus, eſt mea gloria ſumma;
Dulce tui hoc ſanctis omen amoris erit.
3 O mecum celebrate Deum vos carmine, Juſti;
Tollamus juncto nomen ad aſtra choro.
4 Namque meis precibus patientem præbuit aurem, 1 Sam. 21. 12.
Meque ex ærumnis extulit ille meis.
5 Supplicibus placido Deus annuit ore, bonorum
Pinxit & ingenuas nulla repulſa genas.
6 Aſpice, ut hunc inopem Deus exorabilis audit;
Ut curis animam liberat ille gravem.
7 Prærupto ille pios amplectitur undique vallo,
Angelus excubias dum ſpeculator agit.
8 O tu prome Dei puram de fontibus undam,
Undaque quàm! relevet, dic mihi, pura ſitim?
9 Numen amare Dei venerabile diſcite, juſti;
Sufficiet vobis cætera larga manus.
10 Per campos errat, catulorum oblita, leæna;
Et ſævâ dicta eſt ſæpe perire fame:
Sed nil conveniens, nil deficit utile juſto;
Hic labor, ô Deus, eſt hoc opus omne tuum.
11 Vos, mea cura, animis quæ dicam advertite veſtris;
Diriget & veſtros ſemita recta pedes.
12 Quiſquis es annoſæ qui vis tibi tempora vitæ,
Et tibi felices annumerare dies:

13 Quid de quoque viro dicas malè ſæpe caveto;
Nec tua ſit dubiis lingua referta dolis.
14 Tu, quodcunque potes, præſtabis munus amico;
Nec tua nox rixis, ſit neque lite dies.
15 Cura Dei propria eſt juſti inviolabile nomen;
Ille inopum querulis invigilatque ſonis.
16 Ille ſua opponit contraria pectora pravis,
Et rapit injuſtas numinis ira domos.
17 Clamat inauditus nunquam ſine vindice juſtus,
Nec tempeſtivam ſperat inultus opem.
18 Ille animos fractos, ille anxia pectora lenit;
Et pia præſenti numine corda levat.
19 Juſtorum, adverſo quæ cingitur undique fluctu,
Quaſſatam frangit nulla procella ratem.
20 Sed laterum tabulas, quas læſerat impetus undæ,
Cuſtodit dominus; mox reficitq; ratem.
21 Injuſti abſorbet violentior unda carinam,
Et perit in medio cymba relicta mari.
22 Per freta, per ſyrtes, per iniquis æquora ventis
Cymba volat juſti, remige freta Deo.

PSALMUS

PSALMUS XXXV.

David hoc Pſalmo Deum precatur, ut ab ira graviſſima Saulis, bello illum perſequentis; & à perfidia Doeg & Ziphitum, accuſatorem & crimina molientium, illum defendat. Caveat autem Lector, nè vindictæ cupiditate, aut pravis animi perturbationibus impulſus, hoc Pſalmo in propriam perniciem temerè abutatur.

1 TE, Deus, oppoſitis mihi, fortiùs objice turmis;
Geſtaque conſilio ſint mea bella tuo.
2 Sume manu clypeum & curvata ancilia lævâ,
Surgit in auxilium dum tua dextra meum.
3 In latus intorquens directam viribus haſtam,
Hoſtes ſiſte meos, tu mea ſola ſalus;
4 Inſidiaſq; mihi ſub lumina profer agentes;
Confundatq; horum conſcius ora pudor.
Turbati ſua verſa retro veſtigia flectant,
Dejecto infectum dum ſcelus ore vident.
5 Ut paleæ Zephyro paſſim jactantur inanes,
Haud ſecùs hos refugos angelus enſe fuget;
6 Illorumq; (minax gladio dum nuncius inſtat)
Lubrica ſubvertat ſemita, nocte, pedes.
7 Quid minus optarem inſidianti, nulla laceſſit
Quem cauſa, immeritos dum ſtruit arte dolos?
8 Illum improviſum teneant ſua retia; fas eſt
Inſidiatores arte perire ſuâ.
9 Sic mea vox tibi ſæpe canet præconia laudum,
Numine dum gaudet mens mea plena tuo.
10 Quis Deus eſt, dicam, tecum contendere dignus?
De validis inopum palma referta, tua eſt.

11 Ære dato, inſimulant teſtes me criminis empti;
Mentitoq; (nefas!) arguor ore reus.
12 Compenſata malis mea ſunt bona; qualis ariſtas,
Ingrato cultus fœnore, reddit ager.
13 Horum me ſtudio infortunia diſpare lædunt,
Et tangunt animam non aliena meam.
Sordida triſtitiam tunica indicat, apta dolori;
Nec ſtruitur ſolito menſa remota cibo.
Nunc effuſus humi, manibus nunc vota ſupinis
Ad Cœlum, ex oculis imbre cadente, tuli.
14 Filius infelix ut matrem luget ademptam,
Aut frater, charo jam ſine fratre, dolet;
Sic ego, languentes morbo, miſerabar amicos;
Lumina fixa tenens, plena doloris humo.
15 Me tamen afflictum turba hæc ingrata relinquit,
Jucundumque, mei neſcia, tempus agit;
Nec qui ſoletur, nec qui convicia linguæ
Dicta mihi narret, fidus amicus adeſt.
16 Carminibus me ſcurra procax diſtringit amaris,
Dum ſtruitur lautâ menſa ſecunda dape.
17 Uſque, Deus, ſpectator eris, nunquamne repones?
O! animam à ſævo tolle leone meam!
18 Sic tua per populos ibunt præconia multos,
In medio referam juſtitiamq; choro.
19 Dente, Deus, nè turba procax me rodat iniquo;
Nec ſint furtivis condita verba notis.
20 Siquis inoffenſæ metam optat tangere vitæ,
Inſidias illi, queis capiatur, agunt.
21 Diducunt ora, & ſua rumpunt ilia riſu,
Dum mea ſunt certâ damna relata fide.
22 Quod te non latuit, ne ſit ſine vindice crimen;
A me nec tacito ſis, Deus, ore procul.
23 Surge laborantis memor, & te diſcute, cauſæ;
Illa patrocinii pendet ab ore tui.

24 Innocuo

4 Innocuos bene ſcire tuum eſt, moreſq; tueri;
Ne ſit læta meis impia turba malis;
5 Nec dicant hoſtes factum eſt ut vovimus, Euge
Vicimus, en! nobis præda petita jacet.
6 Quos mea delectant incommoda, vertice prono,
Hæc ſimul inficiat conſcius ora pudor.
7 Læta triumphantes agitent ſua gaudia, ſorte
Ducere me vitam qui meliore volunt:
Sæpe canant, " Deus eſt multo dignandus honore,
" Cui famuli arrident proſpera fata ſui."
8 Juſtitiam ergo tuam totis mea lingua diebus,
Et tua digna, Deus, nomina laude canet.

PSALMUS XXXVI.

Pſalmus Davidis, vide 1 Sam. 18. 11,
——19, 10.

1 AFFECTAT ſpeciem recti licet improbus, illum
Sed ſua facta probant haud timuiſſe Deum.
2 Ille, bonos mores ſimulans, ſe fallere gaudet;
Donec ſigna ſuæ fraudis aperta patent.
3 Nudatus, proprios nunc induit ille colores;
Nec ſua diſſimulat crimina, fronte novâ.
4 In lecto inſidias meditatur, nocte, recumbens;
Et ſceleris memor eſt, dum memor ille ſui.
5 Quanta tua eſt nobis, Deus, indulgentia! Cœlo
Nec minus alta tua eſt, nec minus ampla, fides.
6 Illa ſuum, ut montes, caput inter nubila condit;
Ima nec Oceani nos magis unda latet.
Nos omnes, Deus alme, tuo pendemus ab ore;
Nec ſine te carpunt pabula grata feræ.

7 Qualis

7 Qualis amor! quàm nos expanſis implicat alis,
Et fovet in gremio, pura columba, ſuo!
Hinc ſpes illa venit, venit hinc fiducia noſtra;
Hinc fons perpetua plenus abundat aqua.
8 Hauriat ambroſios pius hinc ſine fine liquores;
Seque voluptatum proluat amne tuo.
9 Currite vos, lymphæ; vos, tempora, currite, vit
Currite vos ſocio flumine, fonte pari.
Feſtinate, dies, radiis melioribus orti;
Lux, oriunda tuo lumine, qualis erit!
10 Tu defende, Deus, ſemper tua jura colentes;
Et tuus inſontes protegat almus amor.
11 Sub pede proſtratum nec me terat impius hoſti
Præda nec armatâ ſim removenda manu.
12 Vicimus; ecce cadit, genibus, mala turba, vacill
Nec reget elapſos amplius illa pedes.

PSALMUS XXXVII.

Pſalmus Davidis, in memoria Juſtorum ſæpius b bendus.

1 NE tua iniquorum rebus macreſcat opimis
Invida mens, ſortem ſed ferat æqua ſu
2 Impius inſtar erit viridis nam graminis herbæ,
Arentem meſſor quam modò falce metit.
3 Felix qui grates multùm ſtudioſus agendi,
Commendat precibus ſeque, domumque, De
Ille ſuo incumbet, dum terram vertit, aratro;
Et ſua non mendax fœnora reddet ager.
4 Grata quibus pietas, Deus eſt quibus unica cur
Non deerunt votis proſpera fata piis.

5 Ja

5 Jacta sit in Cœlo tua spes, velut anchora terrâ;
In placido & duces candida vela mari.
6 Te Deus, & mores in apricum proferet æquos,
Vita instar medii dum tua solis erit.
Pone metum, proprio veniet tibi tempore merces;
Sera licèt veniat, sed tibi certa venit:
Quid si divitiis operosior aula nitescat,
Aut pravi injustis res foret aucta modis?
Invidiam & duris iram compesce catenis,
Ne mentem capiat res peritura tuam.
Nam cadet ante diem dulcis vitæ improbus exors,
Dum patriam justus vomere sulcat humum.
Impius hæc subitò tam culta novalia linquet;
Et novus oblitos advena findet agros.
Sed justo jucunda Deus dabit otia vitæ,
Bobus arraturo rura paterna suis.
Concinnata bonis sua retia tendit iniquus;
Ringitur & vanas explicuisse plagas.
Consilia e cœlo Deus irrita prospicit alto,
Fatalem, ridens, prospicit ille diem.
Vaginâ eripuit gladium, nervosq; tetendit
Improbus, ut jaculis, & petat ense pium:
Sed sua descendet districtum in viscera ferrum;
Atque adducta arcûs cornua, rupta cadent.
Plus valet exiguum justi sub paupere tecto,
Quàm malè magnificæ multa rapina domûs.
Namque Deus clypeo justum septemplice condet;
Et validâ injusti conteret arma manu.
Venturos censens longis rationibus annos
Justorum, innumeros computat ille dies;
Et cum dira fames, & vexat inedia campos,
Jejunam justi non sinet esse domum.
Tabescent pravi, ceu capti ab ovilibus, agni
Pinguia fumosis exta cremata focis.

21 Accipit

21 Accipit injustus quæ mutua, nulla reponit;
Et dilabuntur, quas sibi cogit, opes.
De minimo donat justus, quæ tollit, acervo
Gratis; nec minor est, ære, crumena, dato.
22 Terra ferax justi, hæredum longo ordine dur
Injusti dominum res habet empta brevem.
23 Justorum gressus ductor Deus ordinat æquos,
Gaudet inoffensæ dum comes ire viæ;
24 Si fortè infirmo titubent vestigia gressu,
Dextra vacillantes sustinet alma pedes.
25 Me longa ex annis docet experientia multis,
Nunquam justi inopem frugibus esse domum
Nec vidi, solitos alienâ vivere quadrâ,
Maternæ pueros pignora chara sinûs.
26 Quid mirum? hospitibus convivia præbet egen
Et misero humanam porrigit ille manum:
27 Et si vis longo possessas sanguine terras,
Moribus instructus vivere disce bonis.
28 Nam rigidi Deus est observantissimus æqui;
Tempore nec duro deserit ille suos.
Ille, memor pacti, sanctos in secula servat;
Impia sed proles falce resecta cadet.
29 Justorum seris recolenda nepotibus arva.
Extorrem patriâ nulla queruntur herum:
30 Namq; fluunt ex ore boni sapientia verba,
Dum legem gaudet lingua referre Dei.
31 Dirigit ille gradus, suaq; hâc vestigia norma
Incerto titubans nec pede tanget humum.
32 Exitio justi nectit sua retia pravus,
Observans siquâ possit ab arte capi:
33 Sed Deus impunes absolvet crimine justos,
Impietatis agi nec sinet ille reos.
34 Durate, ô Justi, legum sacra jura tenete;
Jus habet ille fori, jus habet ille soli.

Justor

Justorum innumeris hæredibus arva colentur,
Dum cadit ante oculos impia turba tuos.
35 Injustum titulis splendentem, & nomine vidi;
Ut patulis laurus frondet opaca comis:
36 Respicio, & subito fugiens evanuit umbra;
Quam brevis est, inquam, lubrica fama moræ!
37 Convertens oculos, video pia pectora justi;
Aspice, quam placide tempora mortis eunt!
Componit fessos artus quasi, nocte, viator;
Ad matutinum surgere lætus iter.
38 Sed confundentur media inter crimina pravi;
Ut perit in mediis naufraga puppis aquis.
39 Auxilium justi cœlo descendit ab alto,
Turris in adverso tempore certa Deus.
40 Per varios fluctus, per mille pericula vitæ
Emergunt, quorum est anchora fixa Deo.

PSALMUS XXXVIII.

Davide animi discruciato ob Amnonis cædem, Absalonis conjurationem, perfidiam Ahitophel, & Shimei gravissimas contumelias; tot, tantarumque calamitatum causam suis peccatis imputat; impetratque à Deo hoc solum, ut pœnas, quas se meritum esse fateur, nè irrogaret iratus.

1 NE, Deus, exquiras mea crimina, numine læso;
Nec mea delictis pœna sit æqua suis.
2 Nam tua fixa meo lateri, Deus, hæret arundo,
Et tua vulneribus dextera dura meis.
3 Confectum me tabe tuæ timor opprimit iræ;
Et mea me somnos carpere culpa vetat.

4 Ut nimis alta hominis caput obruit unda natantis,
Astrictum pedibus dum malè fertur onus;
Haud ego curarum denso secus agmine cingor,
Et me devexum vix minùs urget onus.

2 Sam. 11. 2, 3, 4. 5 Stultitiæ incurata meæ pudor ulcera celat;
Vulneris & longè fœtidus humor olet.

6 Inclinata solo, superat mea pectora tergum;
Uda meis lacrymis & via sæpè madet.

7 Insanos sensim pervadunt ulcera lumbos,
De quibus infecti sanguinis exit odor;

8 Impleturque meis miseris clamoribus æther,
Dum mea discruciat languida membra dolor.

9 Tu, quid ego mœstus desidero, conscius audis;
Te mea pœna, Deus, nec mea cura latet.

10 Præcipiti motu trepidantia corda feruntur;
Destituitque oculos lux fugitiva meos.

2 Sam. 15. 31. 11 Ulceris absistunt comites graveolentis odore;
Versaque amicitiæ terga dedêre meæ.

12 Me, loco amicorum, cautus circumvenit hostis;
Verbosas nectens, quâ solet arte, plagas:

13 Sed, veluti surdus, nulla huic responsa ferebam;
Nec mihi major erat quàm tacuisse labor.

14 Obstupui tanquam mea frigida faucibus hæsit
Lingua, nec offensos rettulit illa sonos.

15 Namque, Deus, mea spes, in te mea causa recumbit;
Muta aures ferient & mea vota tuas.

16 Hæc mihi namque, silens tacito sub pectore, dixi;
Discat ab auxiliis me mala turba tuis;
Impia nec sævos agat in me turba triumphos,
Cui gratum est lapso me cecidisse pede.

17 Nam, mea dum nimio sunt languida membra dolore,
Stat scelus ante oculos, tristis imago, meum.

18 Nuda

18 Nuda, (fatebor enim) & coràm mea culpa jacebit,
Dum mens ſollicito plena dolore mea eſt.
19 Sed mihi turba inimica ſuo ſtat robore fortis,
Incipit & numeris aucta valere novis.
20 Qui bona compenſat vitiis mea, concipit iras
In me, indefeſſo quòd pede recta ſequor.
21 Affer opem, tantoque, Deus, ſuecurre labori;
22 Differat auxilium nec mora longa tuum.

PSALMUS XXXIX.

Hoc Pſalmo David inimicorum ſuorum incerta & brevi vita ſe conſolatur; ideoque haud impropriè ad calcem duorum proximè antecedentium adjicitur, quorum utriuſque eſt quaſi appendix.

1 NE coram injuſtis videar malè ferre dolorem, 2 Sam. 16. 8, 13.
Injiciam linguæ fræna, lupoſque, meæ.
2 Nulla laceſſitus retuli convicia, verbis
Abſtinuique malis, abſtinuique bonis.
3 Dum tacitus meditor, tandem jecur ignibus arſit;
Et ſua perrupit vincula lingua ſilens.
4 O! utinam, dixi, poſſim mea tempora vitæ,
Et, mihi quot remanent, dinumerare dies!
Hinc, Deus, ut meliùs diſcam, labentibus annis,
Quam fragilis vita eſt, quam brevis illa moræ.
5 En! ſpatium vitæ palmâ non amplius unâ;
Tempora longa ſenum ſunt tibi viſa nihil.
6 Quid ſibi vult hodiernus homo, quem craſtina fallit
Vita, laboratum dum ſibi fingit opus?

Ingentes frustra sibi congerit æris acervos,
Nescius hæredis, nescius ille sui.
7 Quò fugiam? opperiens aut quem, Deus, ergo morabor?
Tu spes viventis, tu morientis eris.
8 Tolle meum scelus, & mentis grave pondus iniquæ;
Fabula ne fiam, dum malè fertur onus:
2 Sam. 16, 10. 9 Namque tuæ agnosco vestigia vindicis iræ,
Et tacito pœnas conscius ore fero.
10 Siste manum, nec plange, Deus, mea pectora plagis;
Quæ sunt verberibus livida facta tuis.
11 Quem sua culpa reum rodit, furtim illius ætas
Labitur, ut tineæ dente peresa toga.
O! ætas incerta, hominumque brevissima vita,
Quam pede furtivo mors inimica petit!
12 Tu, Deus, ergo meis præsentior annue votis,
Nec lacrymas durâ respice mente meas.
Qualis iter faciens nam per loca senta viator,
Nocte, brevi reficit membra levanda toro;
Huc ego non aliter venio peregrinus; avorum
Quæque tulit cineres, cras feret urna meos.
13 Parce, precor, tardè currant mea stamina vitæ;
Postremam ut fiam fortior ante diem:
Ante dehinc abeo loca visere nocte profunda;
Et dico æternùm, labilis umbra, vale.

PSALMUS

PSALMUS XL.

David hoc Pſalmo (ſub ſua perſona) Chriſtum pro peccatis noſtris ſe ultro offerturum (ſacrificium nimio ſatius) manifeſtè innuit.

1 SÆPE Deum optabam venturum, animoque vocabam;
Laſſabat mentem nec mora longa meam;
Sera licet, tamen ille mihi reſponſa ferebat,
Quæ precibus fuerant haùd aliena meis.
2 Me limo eripuit, putidique voragine ſtagni;
Impoſuitque meos in loca firma pedes.
3 Ille afflata novo inſpirans mea pectora cantu,
Carmina ſuffecit nomine digna ſuo:
Hæc ſimulac cernent, trepidæ formidine, gentes;
Multa Dei oblatam turba rogabit opem.
4 Felix ille, Deo innixum, quem purpura Regum,
Nec tulit è rectâ lingua prophana viâ.
5 Copia quanta tui erga nos, Deus, exſtat amoris!
Quanta tuæ fuerant facta ſtupenda manûs!
Tanta fuere, mihi hæc numero comprendere non eſt,
Nec mea ſufficeret lingua referre modum.
6 Votivi facienda bovis tibi viſcera nolles, — 1Sam. 15. 22.
Sed mea foſſa tuâ plus fuit auris acu. — Hoſea 6. 6.
7 En! Hecatombeâ, inquam, cæde potentior adſum, Deut. 17. 18, 19.
Quem chartæ veteres, & cecinere ſenes.
8 Exequi id omne, Deus, quod tu me juſſeris ultrò, —Heb. 10. 5, 6, 7.
Atque lubens cupio; nec mora tardat opus.

9 Jura

9 Jura perorantem tua, me turba audiit ingens;
Ecce, Deus, taciti non reus oris agor.
10 Juſtitiæne tuæ prius, ac miremur amoris,
Non levis officii pars erat illa mei.
11 Ne tua præconem jam triſtem numina linquant,
Nec tuus almus amor, nec tua ſancta fides.
12 Curarum denſo circundatus agmine cingor,
Et mea ſurſum oculos tollere culpa vetat;
Excedunt numerata meos mea crimina crines;
Hinc mihi mens trepido deficit ægra metu.
13 Obſeſſum innumeris his me, Deus, eripe culpis;
Et grave ſollicitæ detrahe mentis onus.
14 Illorum vanas pudor improbus excitet iras,
Res quibus eſt vitam demere grata meam:
Impia turba dato vertat veſtigia tergo;
Et pudeat curſûs, dum fugit illa, ſui.
15 Ille meos meritò, ter ſentiat ille dolores,
Cujus inurbano eſt vox geminata joco.
16 Juſtitiæ, fideique tuæ lætentur amantes,
Et recitent laudes nocte dieque tuas.
17 Pauper, inopſque ego ſum, cui rerum deficit uſus;
Sed mihi præſentem ſufficit eſſe Deum.
O Deus alme, mihi rebus ſolamen in arctis,
Sera peroptatam ne mora tardet opem.

PSALMUS XLI.

1 FELIX, quem tangunt inopum infortunia; fracto
Pectore, in adverſâ non erit ille die.
2 Ille geret vitam placidâ cum pace quietam,
Sub ditione hoſtis nec redigendus erit.

3 Ægroti

3 Ægroti thalamos propior Deus illius ambit,
Compositoque fovet languida membra toro.
4 O miserere mei, Deus, & mitescere multis
In te criminibus sit tibi dulce meis.
5 Namque hostes, quibus est mea vita odiosa, queruntur
Sæpe mei tardam funeris esse moram.
Quando erit illa dies, dicunt, quæ pectore famam
Eximet è memori? quando erit illa dies?
6 Ad mea si veniant me visere limina, fingunt
Torta malo sensu verba, ferenda foras.
7 Quisque suum irritat comitem, dum turba susurros,
Inter se, miscent in mea damna suos.
8 Vim morbi dicunt imis hærere medullis,
Et sua non alio membra levanda toro.
9 Junctus amicitiâ, mensâque fodaliter unâ, 2 Sam. 16. 23.
Calcibus ingratus me petit, instar equi.
10 Affer opem, Deus, & sorti me redde priori;
Perfidiæ ut pœnas sentiat ille suæ.
11 Te mitem agnoscunt renovatæ in corpore vires,
Impotis & facilem te probat ira gregis.
12 Te mihi propitium mea mens infracta fatetur,
Fundis ab ambrosio dum jubar ore tuum.
13 Vivat, in æternum vivat Deus; hæc simul uno
Ore omnes dicant, dum geminatur Amen.

PSALMUS

PSALMUS XLII.

Davide exulante à domo Dei, temporibus conspirationis filii sui Absalonis, tristissimis apud Deum queretis maturum sibi reditum ferri precatur.

1 QUALIS cerva sitim gelido restinguere rivo
Optat, anhelanti dum tremit ore fugax:
Haud secus æternos, Deus alme, exquirere fontes,
Implacanda tuæ me sitis urget aquæ.
2 O ego te quando aspiciam! quandoque licebit
Visere cœlestes, regna beata, domos!
2 Sam. 16. 7, 8. 3 Esca mihi lacrymæ sunt nocte, dieque, cadentes;
Dum rogat hostis, Ubi est jam Deus ille tuus?
1 Chron. 15. 25, 28. 4 Hæc ego dum mecum volvo, mea corda liquescunt,
Inque sinus tepidæ decidit imber aquæ.
Namque olim potui templo consistere, festos
Et celebrare, choro concomitante, dies.
5 Cur, mea, te crucias, anima, & nimis anxia vexas?
Sollicito quianam victa dolore jaces?
Pone metum, inque Deo tua sit fiducia fixa;
Sorte tibi cedet mox meliore dies.
2 Sam. 17. 22, 29. 6 O Deus, ægra labat mea mens sub pondere, ab arcâ
Se procul absentem dum videt esse tuâ.
Namque inter saltus, & inhospita montibus arva,
Immemorem nunquam me, fugit arca Dei.
7 Qualis ubi immani strepitu fremit agmen aquarum,
Fluctibus & littus verberat unda novis:

Curarum

Curarum haud aliter surgentibus obruor undis,
Dum præcedentem mox aqua trudit aquam.
8 Sed citò componet fluctus, fremitusque sonoros,
Mitior, aurorâ jam redeunte, dies.
Nocte ergo votiva Deo mea carmina pangam,
Quòd liquidum feci per mare tutus iter.
9 O mihi tu turris, dicam, tutissima quondam, 2 Sam. 15. 30.
Quò tuus e memori pectore fugit amor?
Cur mœstus, nigroque incedo cinctus amictu,
Insultatque meis impia turba malis?
10 Mucrone à costis mea tergora diripit idem,
Qui rogat, " heus! tuus est nunc ubi, quæso, Deus?"
11 Cur, mea, te crucias, anima, & nimis anxia vexas?
Sollicito quianam victa dolore jaces?
Pone metum, inque Deo tua sit fiducia fixa;
Sorte tibi cedet mox meliore dies.

PSALMUS XLIII.

Occasio hujus Psalmi à Psalmo proximo antè nihil discrepat.

1 CUM rigidâ bellum, Deus, est mihi gente gerendum;
Sit mea consilio causa regenda tuo.
Quo teneam nodo falsi perjuria testis?
Insidiis procul hinc exulet ille suis.
2 Cur, mea vis, vultu obducto, tua lumina condis,
Et sævo tristem me finis hoste premi?

3 Dirigat alma meos, Deus O, tua dextera greſſus,
Ut redeam ad montem, dulcia templa, tuum.
4 Sic ſtabo ante tuas, queis nil mihi charius, aras;
Vocalis tangens conſonà fila lyræ.
5 Cur, mea, te crucias, anima, & nimis anxia vexas?
Sollicito quianam victa dolore jaces?
Pone metum, inque Deo tua ſit fiducia fixa;
Sorte tibi cedet mox meliore dies.

PSALMUS XLIV.

Hic Pſalmus componi videtur, regnante Hezekiah; cùm Rex Aſſyriæ, conſcriptis militum copiis quàm maximis, populum Dei in arctum coegerat.

1 RES geſtas, magnumque Dei & memorabile nomen
Tradidit innumeris fama perennis avis.
Exod. 6. 1. —12. 33. 2 Qui gentem patriâ damnatam excedere terrâ
Impulit, in campis inſeruitque novam;
Nec ſegetes ſinit ille ſatas, nec carpere fructus,
Dum petit incultos impius exul agros.
3 Nec novus arva ſuis mucronibus incola debet;
Sed Deus, & ſuus hæc omnia fecit amor.
4 O Rex, numen idem nobis ſervetur ad imum,
Sub priſco patrum tempore, quale fuit.
Deut. 33. 17. 5 Te duce, per medios hoſtes (quos ira rebellis
Commovet) everſas & licet ire domos.
2 Reg. 18. 20. 6 Plena venenatis mea nulla pharetra ſagittis,
Nec mea diſtricto prævalet enſe manus:
7 Hoc opus omne tuum eſt, tuus eſt bonus exitus omnis;
Quæ venit ex victis gloria, ſola tua eſt.

8 Hinc

8 Hinc celebranda, Deus, totis tua fama diebus,
Et seri carmen fama nepotis erit.
9 Sed nobis tua signa sequi quia non datur ultra,
Nos pudet amisso bella movere duce.
10 Jam nos degeneres timor arguit, agmine verso;
Et malè desertas diripit hostis opes.
11 Qualis agit stabulis mactandas villicus agnas, 2 Chron. 29. 9.
Haud secus imbelles nos inimicus agit.
12 Nos pecus ignavum nullo mercabile lucro,
Res sumus in vacuo viliùs empta foro.
13 Scommate continuo vicinia rauca reclamat,
Dum sumus ingratis fabula plena jocis.
14 Dum nos ridiculo depingit nomine, nutu Deut. 28. 37.
Exprimit illepidos mimica turba sales.
15 Inficit inducto turbatos sanguine vultus,
Et mea continuus jam subit ora pudor:
16 Semper enim ante oculos hostis versatur acerbi, 2 Reg. 19. 3, 23
Et miseræ sortis tristis imago meæ.
17 Hæc, licet hæc nobis contingant omnia; nunquam
Sunt tua mentitâ fœdera rupta fide.
18 Figimus incerti vestigia nulla retrorsum, 2 Reg. 18. 22.
Nec terit obliquas devia planta vias.
19 Invisis, inter loca dira, draconibus apta,
Umbra ubi caligat (mortis imago) gravis;
20 Dimissa oblito nec sunt tua pectore jura,
Nec tulimus falsis impia vota Deis.
21 (Nonne Deus tacitos novit discernere motus,
Et cordis duplices ambiguasque preces?)
22 Hinc ad humum mœrore gravi deducimur, hinc nos,
Ut pecudes, morti dedita turba sumus.
23 Cur somno indulges, Deus? expergiscere: gentis
Excutienda tuæ sarcina semper erit?

24 Cur tuus inducto tegitur velamine vultus?
Et tua, quæ patimur, lumina nulla vident?
25 Nonne his noſtra malis anima inclinata recumbit,
Venter & immundæ pronus adhæret humo?
26 Surge, Deus, requiem noſtro concede labori;
Qualis avos, idem nos & obumbret amor.

PSALMUS XLV.

Hic Pſalmus eſt Epithalamium, celebrans nuptias Eccleſiæ apud Deum; haud (ut quidam putant) Salomonis cum filia Pharaonis.

1 DUM Regem canto, vatem novus impetus urget;
Et vix ſcribenti ſufficit una manus.
Luc. 2. 52. Joh. 7. 46. Luc. 4. 22. 2 Tu ſuperas alios omnes, pulcherrime, formâ;
Ipſe decor vultûs indicat unde domo.
Gratia contingit roſeis affuſa labellis
Tanta tuis, nullâ eſt diminuenda die.
3 Cinge femur gladio Herôum fortiſſime, victor
Pande poteſtatis martia ſigna tuæ.
Rev. 19. 11. 4 Mactę eſto virtute tuâ & fulgentibus armis,
—Luc. 4. 36. Dum tua candidior brachia frænat amor.
—5. 26. Juſtitia, & pietas, & corda tenacia veri,
Hæ tibi erunt artes, hinc tibi nomen erit;
Heu! quantas acies, qualem ſtrabemque ciebis,
Dum tua terribili fulminat enſe manus!
5 Qui Regem offendit, tua tela in pectore ſentit;
Acceptoque ruens vulnere, mordet humum.
Luc. 1. 33. 6 Imperiale omnes ſolium tibi durat in annos,
Tuq; geris juſtâ regia ſceptra manu.

7 Tu

7 Tu scelerum vindex, rigidi tu juris amator ;
Ergo Deus regnum Te super omne feret ;
8 Myrrham olet, & fragrat tua cassiæ aromate vestis, 2. Cor. 2. 14,
Cui seponendæ scrinia eburna vacant. 15, 16.
9 Te regum ancillæ, regum innuptæque sorores, Rev. 21. 9. 11;
Turba puellarum gaudet honesta sequi.
A dextrâ Regina stetit spectabilis auro,
Quod fuit Ophyriæ textile navis onus.
10 O Regina, tuo mea conde in pectore verba, Eph. 5. 31, 32.
Gente tuâ, & patriâ plus recolenda domo:
11 Hinc uret Regem formæ tua grata venustas ; Eph. 5. 27.
O venerare tuum, sponsa beata, Deum.
12 Dona ferent Tyriæ tibi murice tincta puellæ, Rev. 21. 24.
Et flexo veniet turba superba genu :
13 Cinget pictus acu te, filia regis, amictus ; 1 Pet. 3. 3, 4.
Intextoque auro pallia, dives opus.
14 Arte laboratas vestes induta, subibis Rev. 14. 1, 4.
Regia virgineo tecta sequente choro.
15 Interea rauco concussa palatia plausu, Rev. 19. 6, 7.
Et magno populi pondere pressa, gement. Act. 2. 46.
16 Cui Rex, " ereptos quid flet mea filia patres, Matt. 19. 28.
" Progenies surget cui nova, major avis ; Rev. 5. 10.
" Quæ reget imperio gentes, populoque volenti
" Jura dabit, regnum non minus orbe tenens ? "
17 O Rex alme, tuam liceat mihi dicere famam ;
Et tua posteritas nomina fera canet.

PSALMUS

PSALMUS XLVI.

Pſalmus Davidis, vide 2 Sam. 8.

1 AUXILIUM præſens, rebuſque levamen in arctis,
Et noſtris Deus eſt portus, & aura, malis.
2 Terra pruinoſo licet illabatur ab axe,
Et ruat in medias mons reſupinus aquas;
3 Verberet inſanis ſua littora fluctibus unda,
Dum ſolidos montes impetuoſa quatit;
Nos tamen infractos animo convulſa elementa,
Et vacuos feriet vaſta ruina metu.
Iſa. 8. 6. 4 Eſt locus, irriguis quem fons præterfluit undis,
Et Deus ante omnes maluit eſſe ſuum:
5 In medio cujus ſtabilem ſibi condidit arcem;
Quæ manet æternâ ſede colenda Domus.
Terquo quaterque beata Domus! tua mœnia ſacra
Numine defendet (nec mora longa) Deus.
2 Sam. 10. 6. 6 Dum conjuratæ coëunt in fœdera gentes,
1 Sam. 7. 10. Compreſſa, irato numine, terra ſilet.
7 Bellorum Deus ille potens nos protegit armis,
Qui profugos ſiccum per mare duxit avos.
2 Sam. 8. 1,2. 8 Ecce Dei rabiem, & veſtigia vindicis iræ!
1 Chron. 18. 1. En quali excidio terra reciſa jacet!
9 Quocunque aſpicies, bello illa exhauſta quieſcit;
Nec fragiles arcus ducta ſagitta fugit;
Jam jacet, ære modò quæ fulſit, inutilis haſta;
Et currûs ſummo canet in igne cinis.
2 Sam. 8. 4. 10 Diſcite jam veſtros, gentes, componere motus;
Nam Deus imperium ſolus ubique geram.
11 Bellorum Deus ille potens nos protegit armis,
Qui profugos ſiccum per mare duxit avos.

PSALMUS

PSALMUS XLVII.

Psalmus Davidis
vide 2 Sam. 6. 5.
——6. 14, 15.
— 2 Chron. 5. 2, 12, 13.
} *Utrum horum mavis accipe.*

1 PLAUDITE vos, populi chorus omnis, plaudite palmis;
Ferte triumphantis nomen ad astra Dei.
2 Namque Deus regnat terras super arduus omnes;
Et sua terribili ventilat arma manu.
3 Ille dabit nobis populos frænare rebelles,
Et gentis nostro colla premenda jugo.
4 Ille assignabit nobis tua rura colenda,
Qui fueras tanto dignus amore, Jacob.
5 Insequitur clamorque virûm, clangorque tubarum, 2 Sam. 6. 5, 15.
Templa triumphato dum petit hoste Deus.
6 Psallite dulcisonæ modulamine, psallite, linguæ;
Et chorus hinc Regem concinat, inde Deum.
7 Nam toti, quacunque patet, Rex imperat Orbi;
Pangite compositis carmina docta modis.
8 Imperium in gentes sibi vindicat ille remotas;
Inque effulgenti sede coruscus ovat.
9 Plaudite nobilium, vos, regia turba virorum,
Plaudite; namque hostes vincere posse, Dei est.

PSALMUS

PSALMUS XLVIII.

Psalmus Davidis
vide 2 Reg. 18 17.
——2 Chron. 20.

} *Utraque occasio æquè hoc Psalmo convenit.*

1 MAGNE Pater divûm atque hominum, præconia laudum,
Dicere nominibus cui licet æqua tuis?
Laude tuâ sacri reboant juga summa Sionis,
Mugit & æterno numine læta domus.
2 Deliciæ, juga pulcra situ sunt illa Sionis;
Friget ubi & tepidos temperat aura Notos:
Namque urbis Solymæ de parte palatia surgunt,
Quà Scythico Boreas mittit ab axe gelu.
3 Certa salus refugis, intra has Deus emicat arces;
Ipse suæ columen præsidiumque Domus.
2 Chron. 20. 11 4 Ecce cavum innumeræ turmæ glomerantur in orbem,
Clausuræ sacras obsidione domos;
2 Chron. 20. 16, 17, 22. 5 Lustratâ, attonitæ fugiunt, procul arce, phalanges;
(Horrendi facies tanti erat ipsa loci.)
6 Haud secus ac matris tumido quæ ventre laborat,
Membra repentinus corripit icta tremor:
2 Chron. 20. 37 7 Nec secus in Cilico religatam littore classem,
In mare, diruptis funibus, Eurus agit.
2 Chron. 20. 14 15, 22. 8 Sæpius, obsessâ, Domus hæc caput extulit, urbe;
Sæpe triumphatis hostibus, illa stetit.
2 Reg. 18. 17. Imperiosa Domus manet, æternùmque manebit;
Nam facit hæc nobis otia sacra Deus.
2 Chron. 20. 3, 4, 5. 9 Dicimus in medio, Deus, hinc tua nomina templo,
Et tuus hinc nobis sæpe recurrit amor.
10 Nulli

10 Nulla satis referet tua nomina temporis ætas, 2 Chron. 20.
Si recitet laudes ultima meta tuas: 15, 29.
Nam tua dextra tuis prompta est succurrere Sanctis,
Hostiles rutilo dum fugat ense globos.
11 Ergo Sion tua jura canet sanctissima; Judæ
Et tua virgineus concinet acta chorus.
12 Turritam attonitus spectator obambulet urbem,
Et tua dinumeret mœnia celsa, Sion;
13 Murorum ingentes (tua propugnacula) moles
Sæpe notet digito, Pyramidumque minas;
Ut seris maneant monumenta nepotibus ædes,
Dictaque venturis fama Sionis avis.
14 Quo defensa olim fuerant hæc mœnia, nobis
Fidus ad extremos dux erit ille rogos.

PSALMUS XLIX.

Seria Prophetæ de morte Meditatio.

1 DUM loquor, attento mea vox sit publica mundo,
2 Seu quibus objicitur sors bona, sive mala:
Audiat aurato qui splendidus incubat ostro,
Atque humili pauper sub lare, nudus opum.
3 Namque tuos rimabor ego, Sapientia, fontes;
Et promam liquidæ pocula pura aquæ.
4 Obscuris vera involvens ænigmata dicam,
Argutæque canam consona verba lyræ.
5 Quare ego venturæ cruciarer imagine mortis,
Omni ex parte reos cum gravis horror agit?

6 Sunt, qui congeſti exultantes pondere nummi,
Divitibus nullum numen abeſſe volunt.
7 [Nemo horum argenti morientem dote redemit,
Defunctum pretio nec revocavit avum:
8 (Nam revocare animam, exutumque reſumere corpus,
Hic labor, hoc omni eſt munere majus opus.)
9 Nec quiſquam potuit productam extendere vitam,
Aut ſua de propriis oſſa tenere rogis.
10 Namque vident cineres miſceri inſignis & imi,
Indocti & docti funera ſorte pari;
Et ſua linquendas quas triverat area fruges,
Linquendaſque vident, quas rapit alter, opes.
11 Hæc ſecum intus agunt, quibus eſt ſua copia cordi,
Æternùm exſtructas poſſe manere domos:
Hi terras, villaſque ſuo de nomine dicunt,
Ut ſua progenies poſtera diſcat avos.
12 Futilis ille labor; nam mors communis iiſdem
Legibus inſignes, queîs rapit illa feras.
13 Stultitiâ tamen hâc juvat inſanire nepotes,
Ludit & hos error, qui modò luſit avos.
14 Mors agit hos manes, pecudes ut paſtor, ad umbras;
Conſumitque horum viſcera vermis edax:
Pravo tempus erit, magno cum optaverit emptum,
Innocuum nunquam ſe tetigiſſe gregem:
Nil veſtis ſplendor, nil formæ grata venuſtas
Jam valet, aut ſuavi mollis in ore decor.]
15 Sed juſtorum animas avido Deus eximet Orco,
Dum fovet in gremio pectora pura ſuo.
16 Quarè age, livor edax tua ne præcordia rodat,
Si foret alterius condita mole domus;

17 Nullæ

17 Nullæ illum comitantur opes tellure repoſtum,
Nec ſequitur dominum gloria vana brevem.
18 Dum vivit, licèt ille ſuâ ſe jactet in aulâ,
Plurimus & ſocias laudet amicus opes:
19 Ad loca diſcedet mox ille horrenda parentum,
Nulla tenebroſum lux ubi limen adit.
20 Qui malè neglexit ſapientèr honoribus uti,
Ille perit, veluti bellua mente carens.

PSALMUS L.

Pſalmus ſolennis Aſaphi, qui vixit, regnante Hezekiah, vide 2 Chron. 29. 30.

1 SUblimi omnipotens mundum Deus ore citabit,
Quà ſol Heſperias ambit eous aquas.
2 Mons erit huic ſolium placidiſſimus ille Sionis;
Integer attonitos arguet undè reos.
3 Ille thronum aſcendens, horrenda ſilentia rumpet; Exod. 19. 16, 18.
Ignis anhelati dum vomit ore faces; --Iſa. 9. 18, 19.
Flamma vorax rapiet quibus ignibus omne quod obſtat;
Et cœlum & tellus hæc cinis unus erit.
4 Primùm animas ſuperas, & inania corpora poſcet; Iſa. 1. 2.
Exiget & manes quos ſua terra tegit.
5 Cælicolum ille umbras diſtinctâ in ſede reponet, Deut. 14. 2.
Quas thuris pacto jure piavit odor. ——Jer. 34. 18, 19.
6 " Vos, animæ inſontes, quas vexit ad æthera virtus,
" Vos teſtor, ſanctam Judicis eſſe fidem.
7 " Quàm Deus indulgens fueram, mea numina juro; Exod. 20. 2.
" Et, mea Gens, qualis me tibi junxit amor.

8 " Haud ego te vitulâ mihi non feciſſe reprendam,
" Aut non perpetuis exta cremâſſe focis.
9 " Non opus eſt cæſi fuſo mihi ſanguine tauri;
" Quæ venit, aut, ſummo monte caduca, caprâ.
10 " Omnis enim meus eſt, errat qui in montibus, hœdus;
" Qui manet in pratis bos, manet ille meus.
11 " Me neque in umbroſa volucrum latet arbore nidus;
" Nec vaga, quæ pennis aëra tranſit, avis;
" Omne meum pecus eſt; quodcunque in valle moratur,
" Aut latet in ſilvis, ungue, vel ore, minax.
12 " Si fuerim eſuriens, ſine te jejunia poſſem
" Solvere; nam tellus, quà patet, illa mea eſt.
13 " Quando exempta fames fuerat mea carne bovina?
" Aut ſatiata capræ quando cruore ſitis?
14 " Ante meas animus modò ſit tibi candidus aras,
" Centum erit hæc potior victima cæde boum.
15 " Temporibus duris ſupplex tu numen adora;
" Et mihi fama, tuæ cura ſalutis, erit.
16 Torva Deus trepidas tum lumina vertit ad umbras,
Quas vitæ injuſtæ conſcius horror agit:
" Quid mihi vobiſcum eſt, inquit, vos improba turba,
" Dedignata meæ fœdus amicitiæ?
17 " Vos quibus antè meæ fuerant ſine pondere leges,
" Ac mea ſi ventis verba ferenda forent?
18 " Convectare quibus prædas, & vivere rapto
" Gratum erat; & caſti fallere jura tori?
19 " Agmen adulantum, blandæ vos murmure linguæ;
" Dulce fuit ficto, vos, quibus ore loqui?

20 " Vos

20 " Vos delatores, quibus olim infamia cordi;
" Lingua quibus rixas apta ciere fuit?
" Improba fratre fuit quèis fabula carior ipso,
" Sit licèt ejusdem dulce parentis onus?
21 " En adsum, quem nulla latent hæc crimina, Judex;
" Pectore quæ pressi dissimulata meo:
" Conticui observans siquid patientia possit;
" Sed, videor vobis conscius esse, morâ.
" Hinc pœnas ergo, vehementior ore, reposcam,
" Singula dum tabulis culpa notata meis.
22 " Vos omnes memori sedeant hæc mente repôsta,
" Quos ventura fugit Judicis atra dies:
" Ne procul hinc adigam subito vos fulmine ad umbras;
" Qui ferat auxilium, nec Deus alter erit.
23 " Pectore me, Gentes, venerari discite puro;
" Cui nulla est animo gratior ara pio:
" Integer instituit recto qui tramite vitam,
" Ille sibi certam pandit ad astra viam."

PSALMUS LXVIII.

Psalmus Davidis, quem composuit in honorem Arcæ, magnifica profectionis militaris pompa è Sione in castra progredientis; quo itinere, Propheta imaginem Christi in Cælum ascendentis, & de morte triumphantis, haùd obscurè repræsentat.

1 SURGAT, & in medios Deus irruat impiger hostes, Exod. 10. 35.
Et fuget oppositos Numinis ira globos.

2 Retro

2 Retro acies cedat, vacuas ceu fumus in auras;
Aut velut admoto cera soluta foco.

2Sam.6.14,16 3 Sed sua per lætos exultent agmina campos;
Victoresque altâ voce, triumpho, canant.

4 Carminibus celebrate Dei vos numina lætis,
Laudate & lyricis illius acta modis;
Qui rapidos Cœli cursus moderatur habenis,
Ut regit admissi fræna magister equi.

5 Ille inopi pater est, pater ille parentibus orbo;
Et viduæ causas arbiter æquus agit.

6 Ille domum sterilem fœcundat sanguine longo;
Et sua miratur fœmina mater, anus.
Ille catenatos vinclis & carcere solvit;
Impia dum nullis terra rigatur aquis.

Exod. 13. 21. 7 Cùm Deus Isacidum sua per nemus agmina duxit,
Horrendas gaudens primus inire vias;

Exod. 19. 16, 18. 8 Et Terra, & montis tremuere cacumina Sinæ;
Sudavitque novas igneus aer aquas.

9 Ille graves udo demisit ab æthere nimbos,
Nè siris, arentes solibus, urat agros.

Exod. 16. 4. ——17. 6. 10 Ille suæ erranti suffecit pabula genti;
Tectaque defessis hospita silva fuit.

11 Dixit, & è castris effusa caterva ruebat,
Nec cedens agiles tardat arena pedes;

Exod. 21. 2, 3. —Numb. 31. 8, 9, 11. 12 Fugerunt trepidæ Regumque, Ducumque phalanges;
Et dives spoliis fœmina facta domi est.

13 Nigra Ægyptiacis fuerit licet illa caminis,
Immundæque ollæ stercore fœda, manus;
Splendor erit capitum tamen horum, ut penna columbæ;
Auri atque argenti pluma colore nitens.

14 Splendida,

14 Splendida, devictis, acies erat illa, tyrannis;
Armaque Selmonis candidiora nive.
15 Summa, Sion, tua sunt; tua summa cacumina, Num. 21. 33.
Basan;
Et super omne solum surgit utrumque caput.
16 Æmula cur alti tollunt sua culmina Montes?
Chara Dei sedes, est sua sancta Sion.
17 Hæc bis mille decem volitant circum atria currus;
Et latus angelico cingitur omne choro.
Qualis erat præsens Deus olim in vertice Sinæ,
Ille sacrosanctâ talis in æde manet.
18 Ascendens super, ille pedis servilia rupit Act. 1. 9.
Vincula captivi; victor ab hoste redux:
Dona triumphalis, tulit hæc sibi præmia, palmæ;
Dona relicta bonis, dona relicta malis;
Ut Deus interfit nobis, hæc munera fecit;
Et suus in nostro pectore regnet amor.
19 Accepta huic animo referamus munera grato,
Qui largâ impertit dona diurna manu.
20 Namque salus Deus est extremo in tempore vitæ,
Seu rediviva manet, seu fugitiva volat.
21. Sed feriet caput ille hostis, cui turpia curæ; 2 Sam. 8. 3.
Torvaque contortis qui tegit ora comis.
22 Sic ait, his dictis sanctorum pectora mulcet; Num. 21. 4.
" Vos, mea, de Basan, gens, reditura jugis; Exod. 15. 16,
" Vos maris en! iterum tranabitis æquora rubri; 19.
" Undaque erit populo murus utrinque meo;
23 " Ut tua planta madens inimici cæde rubescat;
" Lingua fit & rivo sanguinis uda canum."
24 En! quali Solymæa intrat Deus atria pompâ,
Dum vocat hæc Regem, pars vocat illa Deum:
25 Cantores primos Citharædi pone sequuntur; 1 Chron. 15.
Tympana dum pulsat juncta puella choro. 16, 28.

26 His,

26 His, laudare Dei; laudare, his, nomina Regis,
Gens solet Isacidum sanguine nata, modis.
1 Chron. 13. 5. 27 Benjamini Gentes sua cantibus ora resolvunt;
—— 15. 3. Et sua, conjuncto Juda canora choro;
Carmen idem Zebulon canit, & tua, Nepthali, turba;
Utraque per longas turba remota vias.
28 Grata tibi quoniam junctæ sunt carmina gentis,
Fac, Deus, hinc discors turba sit una domus.
2 Sam. 8. 9, 10, 11. 29 Hujus amore loci perculsi, munera Reges
Ad tua sic referent templa, Sionis opes.
30 Frange, Deus, nodis, latoque hastilia ferro;
Prælia nec *vitulus*, nec sua *taurus* amet;
Turba sed argenti speciem tibi proferat omnis;
Imponatque aris dona ferenda tuis:
Disjice dispositas equitum, peditumque catervas,
Sanguineam quibus est dulce movere manum.
31 Niliaci mox dona ferent pretiosa tyranni;
Et tibi turba suas potriget atra manus.
32 Exaltate Deum vos, omnes undique gentes;
Terrarum Domini, vos celebrate Deum;
33 Qui superos Cœlos, & sidera torquet habenis;
Cui fulmen telum est; & tonuisse, loqui.
34 Magnifici exaltate Dei vos numina; Gentes
Qui regit Isacidum, quâ regit astra, manu.
35 Ex adytis prodit quàm! formidabile Numen,
Cui proprium est hostes vincere posse suos?
Ergo magna Dei, metuendaque nomina Regis,
Concinat alterna voce beata chorus.

PSALMUS

PSALMUS CIV.

Hoc Psalmo David Potentiam & Providentiam Dei elegantissimè depingit: Psalmus, quem Poetæ ferè omnes tractaverunt, nemo omnium assecutus est.

1 O Anima æternum celebra meæ laude Parentem;
Gloria quem circum fusa, decorque tegit.
2 Qui se, veste velut, radianti lumine cingit;
Cæli exporrecti cui quasi vela domus;
3 Sub quibus expansis sua collocat atria tectis;
Imaque suppositis aulà recumbit aquis:
Cœruleo qui summa volat per nubila curru,
Et celeres rapido verberat axe Notos.
4 Cui chorus angelicus servit, data jussa capessens;
Ocyor & subito fulminis igne volat.
5 Qui concrescentis posuit fundamina terræ;
Quæ manet æternùm pondere fixa suo.
6 Qui, velut injecto, terræ induit æquor, amictu;
Et latuit medio gurgite montis apex.
7 Qui, tonuit, subitoque exstabant vertice Colles, Gen. i. 9.
8 Dum recipit refugas concava vallis aquas.
9 Qui mare littoribus, propriàque coercuit orâ,
Obruta nè mediis Terra residat aquis.
10 Qui cæcâ valles fœcundat origine fontis;
Quæ colles inter murmurat, unda loquax.
11 His armenta sitim gaudent restinguere lymphis,
Has Onager patulis faucibus haurit aquas.
12 Juxta inter ramos vaga ludit in arbore passim,
Integrat & tenui gutture carmen, avis.
13 Ille altos montes pluvialibus irrigat undis;
Omnis & hinc vario germine ridet ager.

14 Ille gregi teneras fundit cum floribus herbas;
Ille olus, & menſæ, quas alit hortus, opes.
15 Pampinea hinc oritur pendentibus uva racemis,
Quæque hilarant animos vina, repoſta cadis;
Hinc virides oleæ ſurgunt, & ſuccus olivæ
Lubricus, ornatis qui polit ora comis;
Hinc ſua fundit humus Cerealia munera, arator
Quæ coquit, & comedens cocta, reſumit opus.
16 Pullulat hinc arbor ramis facientibus umbram,
Et Libani ſuccos haurit odora Cedrus;
17 Multa avis umbroſo cujus ſub tegmine fidit,
Et ſtruit intextos ingenioſa lares;
Apta ciconinis abies altiſſima nidis,
Summa ſuperfuſis hinc ferit aſtra comis.
18 Hinc amat effoſſis exire cuniculus antris;
Dumoſiſque hæret pendula capra jugis.
19 Hinc renovat certo ſua cornua tempore Luna;
Et Sol occiduum corripit æquus iter.
20 Hinc nox atra diem cæcâ caligine mergit;
Impaſtæque ululant per nemus omne feræ;
21 Dum vacuis errat ſub nocte Leunculus arvis,
Jejunoque vocat neſcius ore Deum:
22 Sol oritur; nemorumque feræ glomerantur in antris,
Membraque componunt feſſa labore viæ.
23 Hinc redit ad ſolitum, primâ ſub luce, laborem
Ruſticus; & repetit, ſole cadente, domum.
24 O! quàm plena tuo, Deus, omnia Numine! partes
Communiſque Patris quàm ſapienter agis!
25 Nec Te indulgentem ſentit modò Terra Parentem,
Immenſi agnoſcit Te maris unda Patrem;
Quæque ſub auratis repunt conchylia tectis;
Quæque natat medio lubrica turba Salo;

26 Et

26 Et se mole movens, [immanis bellua] Cetus,
Qui caudæ obliquo verbere spargit aquas.
Te rogat ut ventis tumeant sua vela secundis,
Qui liquidum ratibus per mare sulcat iter.
27 Te maris & terræ cuncta hæc animalia sperant,
Et jejuna petunt Te, Deus, alme Parens.
28 A Te omnis, conviva satur, tua turba recedit,
Cui tua munificas dextra ministrat opes:
29 Si retrahas vultum, illius halitus exit in auras,
Et redit in cineres, hæc maris, illa soli:
30 Te tamen inspirante animam, altera semina surgunt
Ad vitam, & rerum nascitur ordo novus.
31 Hæc alternatim vivunt; tua gloria in ævum
Omne manet, magnum dum tibi ridet opus.
32 Terra tremit tua vox modò personet æthera; fumos
Et montes icti fulminis igne vomunt.
33 Dum mea vita manet, tua dicam encomia; laudes
Et mea cantabunt ultima verba tuas.
34 Dum varias operum partes sub mente revolvo,
Quàm juvat, o Genitor, me meminisse tui!
35 Corruat impietas radicibus eruta vulsis,
Quæ tua contemnit numina, magne Deus.
O anima æterni mea laude elata Parentis,
Concelebra juncto nomina sancta choro.

PSALMUS CXIV.

Hoc Psalmo David stupendum illum Israelitarum ab Ægypto transitum concinna & brevissima narratione perstringit.

1 DUM gens Isacidum Pharii fugit arva tyranni,
Et redit in patrias, jam peregrina, domos;

Exod. 13. 21. --Num. 14. 14. --Exod. 19. 6. v. 3. Exod. 14. 21, 24. -Josh. 3. 15, 16.

2 Primum Ægyptiacis sese Deus obtulit armis,
Et sua per campos agmina duxit ovans.

3 Hæc simulac cernit, trepidis mare diffugit undis;
Jordanis refluâ volvitur amnis aquâ:

v. 4. Exod. 19. 18.

4 Prosiliunt montes, pecoris de more petulci;
Et teneræ collis dissilit instar ovis.

5 Tu maris, ut fugias, dic quid tibi contigit, unda?
Et tua, Jordanis, versa recurrat aqua?

6 Quæ vos causa movet, salientes dicite montes?
Quæ colles subitis motibus urget ovis?

7 I, treme terra, Dei præsentia concutit orbem;
Isacidum agnoscunt ipsa elementa Deum:

Exod. 27. 8. --Num. 20. 11.

8 Dixit, & erumpunt solido de marmore fontes;
Et subito terras obruit imbre silex.

PSALMUS CXXVII.

Psalmus Salomonis, vide Prov. 3. 6.
——16. 3, 9.
——20. 24.
——21. 30, 31.

1 NIL valet assiduo domus ædificata labore,
Artificis vanum est, ni Deus adsit, opus

N

Ni Deus invigilet muris, & mœnia servet,
Nequicquam custos excubat ante fores.
2 Nil te surrexisse novo sub lumine solis,
Tempora nil nocti parva dedisse valet;
Nil operi magnum juvat impendisse laborem,
Teque parum sumptis attenuâsse cibis:
Ille dat in molli te posse recumbere lecto,
Et placidâ somni posse quiete frui:
3 Ille tibi dulces donat, sua præmia, natos;
Et multâ uxoris viscera prole beat:
4 Progenies robusta suo est quasi tela parenti,
Nec secus ac validâ ducta sagitta manu.
5 Felix ille parens, tutissimus undique, cujus
Ex humero, his telis plena, pharetra sonat:
Ille nec ad portas timet hostibus obvius ire;
Nec trepidus metuit judicis ora reus.

PSALMUS CXXVIII.

Psalmus Salomonis, Carmina nuptialia.

1 TErque quaterque beatus erit qui numen adorat,
Præscriptumque tenens, fortiùs urget, iter.
2 Ille sui carpet fructus sine lite laboris;
Quicquid agit, felix id sibi cedet opus.
3 Illius uxor erit foribus velut adsita vitis,
Cujus fœta suum vix ferat arbor onus.
Multa coronabit mensam, sua semina, proles,
Haùd secùs ac oleæ planta tenella solum.
4 Sic erit, in recto qui tramite tendit, eunti;
His erit & felix vita beata modis.

5 Nam

5 Nam Deus huic Solymæ ſua numina fundet ab arce;
Cujus opem ad ſummam ſentiet uſque diem.
6 Ille ſuos natos & qui naſcuntur ab illis
Cernet, & Iſacidum, non ſine pace, dies.

PSALMUS CXXXIII.

Pſalmus pſalmorum, quotidiana cujus repetitione utinam augeatur hujus temporis familiaritas.

1 QUàm benè, quàm placidè ducunt ſua tempora fratres,
Fœdere quos ſocio mutuus æquat amor.
2 Ille, velut liquidis perfuſus odoribus Aaron,
Dum madet unguentis infula vatis, olet;
Imbre ſuperfuſo quæ decurrentia tingunt
Et barbam, & limbum veſtis aduſque pedes.
3 Haud aliter, gelidis canet dum roribus Hermon,
Floret odoratis fertilis herba jugis:
Nec ſecus, excuſſo tua dum juga rore madeſcunt,
Purpureis ſpirat floribus aura, Sion.
Namque ubi fraterni nodis nectuntur amores,
Hanc ſine fine domum vult Deus eſſe ſuam.

PSALMUS

PSALMUS CXXXVII.

Prior pars hujus Psalmi, est Lamentatio populi Judaici in servitutem adducti, & circa ripas fluminum Babylonicorum commorantis; posterior, est imprecatio & ultionis divinæ comminatio. Incerto Autore.

1 DUM prope dividuas Babylonia sedimus undas, Ezek. 1. 1. —Baruch. 1. 4.
Quà vagus * incertis murmurat amnis aquis;
Aspera captivi miseramur fata Sionis,
Donec erat guttis humida arena novis.
2 Mutum inter salices pendebat ab arbore plectrum,
Et sua neglecta pendula fila lyra.
3 Exigit a nobis rigidus jam carmina custos,
Magnifici laudes digna referre Dei;
Ex adytis cantata, Sion, tua carmina poscit,
4 Non singultatis emodulanda sonis.
5 Dediscant agili percurrere pollice chordas,
Pectine dediscant tangere fila manus;
Ante, Sion, quàm te violem, qui tua carmina dicam;
Audiat & numeros turba prophana tuos:
6 Ante, Sion, quàm te violem; mea lingua palato
Hæreat, & tremulis vox sit inepta sonis:
Despeream, si non Solymæ mihi ridet imago,
Si non deliciis dulcior una meis.
7 O crudelis Edom, quam lacryma nulla movebat, Jer. 49. 10.
Nec Solyma, excisis mœnibus, æqua solo! —Ezek. 25. 12, 13.
Quæ tibi devoveam, quæ non tibi dira precabor?
Involvat gentes una ruina tuas.

* Utrum defluant in Euphratem aut Tigrim. V. Prid. de Conn.

8 Tu

Isa.13.19,20, 21, 22. —Jer. 50.9, 41, 42. —51.24,35, 49. v.9.Isa.13.16. —Jer. 51.62.

8 Tu Babylon, (quam fata manent haud altera) fe-
lix,
Qui tua facta tibi fæva rependet, erit;
9 Felix, diripiet qui matris ab ubere natos,
Et saxa infantum sanguine tincta linet.

PSALMUS CXXXIX.

Davide in suspicionem alicujus mali adducto, vi
1 Sam. 24. 9. *hoc Psalmo se expurgat.*

1 O Deus, ima mei neque te penetralia cordi
Continuus vitæ nec latet ordo meæ.
2 Me manè observas surgentem, & nocte cubantem,
Et quæ mente agito, tu procul ante vides.
3 Sive eo dormitum, seu sedulus ambulo, vitæ
Atque viæ testis tu meus, alter ego.
4 Nec fugit è linguâ tibi non memorabile verbum,
Præterit aut aures, vox, levis aura, tuas,
5 Finxisti os, humerosque meos compagine miri,
Arguit impositas æmula forma manus.
6 Illa meas superat nimis alta scientia vires,
Ingeniique mei ridet acumen opus.
7 Quò fugiam? quibus aut lateam satis abditus a-
tris?
Quave locum vacuum te regione petam?
8 Si Cœlum ascendam, sunt hæc loca numine plen
Pronus ad infernum si ferar, ecce Deus.
9 Auroræ si vectus ego pernicibus alis,
Littore in extremo, per freta longa, morer;
10 Hic etiam tua me manus implicat alma mane
tem,
Dextra regitque meos officiosa pedes.

11

11 Si dicam, coopertus ero velamine noctis,
Illa mihi ſubito fit velut orta dies;
12 Nulla tuis oculis radiantibus officit umbra,
Luce quibus fulget noxque, dieſque, pari.
13 Nam tua cura fui, materno conditus alvo
Seminis exigui cùm tener orbis eram.
14 Te laude extollam; tuæ enim ſum fabrica dextræ,
Divinâ autoris fabrica digna manu:
Omnia ſunt hominum mirâ ratione, modoque,
Compoſita; his mea mens quàm ſtupet icta modis!
15 Nec te materies mea, poſt animata, latebat,
Cum fueram terræ parvula maſſa rudis;
16 Mandabas foliiſque tuis mea ſingula membra,
Dum jacui in matris viſcere ſemen iners;
Quæ miris perfecta modis poſt inerevêre;
Addidit & vires quælibet hora novas.
17 O quam! grata tuæ mihi ſunt miracula dextræ!
Quanta & amicitiæ maxima ſumma tuæ!
18 Hæc ego ſi numerem, numerem quot littus arenas,
Aut mare quot piſces, quot tenet aſtra polus.
Diſcutio ex oculis primo dum mane ſoporem,
Hæc animo occurrunt ſæpe movenda meo.
19 Vos, procul, humano, hinc abſiſtite, ſanguine tincti;
Ad loca quos adiges fulmine dira, Deus:
20 Namque in Te ſtolidæ fundunt convicia linguæ,
Dum fictas partes numen amantis agunt.
21 Nonne odi hanc gentem, quæ te, Deus, odit? & iras
Commovet una tuas cauſa, eademque meas?
22 Hoſtis habenda loco mihi ſunt hæc agmina ſævi;
Et mihi bellum infert, qui tibi bella parat.

23 Intima corda, Deus, mea perſcrutare; meique
Pectoris occultas experiare vias;
24 Et me, ſiqua manent ſcelerum veſtigia, purga;
Nec ſine de recto tramite ferre pedem.

——*Deus, & mihi Rex hæc otia fecit.*